

SPECIMEN JURIS PUBLICI INAUGURALE

DE VARIA RATIONE,

QUA,

IN PRAECIPUIS GERMANIAE CIVITATIBUS,

POPULI ELIGUNTUR MANDATARII.



SPECIMEN JURIS PUBLICI INAUGURALE

DE VARIA RATIONE,

QUA,

IN PRAECIPUIS GERMANIAE CIVITATIBUS,

POPULI ELIGUNTUR MANDATARII.

SPECIMEN JURIS PUBLICI INAUGURALE

DE VARIA RATIONE,

QUA,

IN PRAECIPUIS GERMANIAE CIVITATIBUS,

POPULI ELIGUNTUR MANDATARII,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII ADRIANI BERGSMA,

MATH. MAG., PHIL. NAT. ET MED. DOCT., ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

ANTONIUS BACKER,

AMSTELODAMENSIS.

DIE XXVI M. JUNII ANNI MDCCCXLIII, HORA I.

AMSTELODAMI.
APUD P. N. VAN KAMPEN.
MDCCCXLIII.

TYPIS C. A. SPIN.

PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Postquam per multorum jam annorum spatium studiis literariis atque juridicis in hocce Athenaeo operam navaveram, eo tandem mihi quoque tendendum fuit, quorsum, tamquam ad laborum scopum, ii fere solent oculos convertere, qui Academicae institutioni erudiendos sese commiserint, ut nempe materiem circumspicerem speciminis, quo satis probabiliter defenso, ad summos honores consequendos, et quidem in Jurisprudentiae disciplinâ, aditus mihi recluderetur. Et primum, quam experiri inque dissertationum suarum praefationibus commemorare plerosque notum est, idonei, in quo periclitentur, reperiundi argumenti difficultatem, eadem sane mihi quoque haud mediocriter obtigit. Quin etiam, in argumentorum aestimatione facienda, quam imperito juveni in promtu sit vehementer falli, ubi prae multis aliis usu me edoctum pronuntiem, haud sane longe a veritate recedere mihi videor. Etenim, quum mihi, historica juris publici tractatione, ab eo inde tempore quo quicquam de hisce intelligere coepissem, insigniter delectato, ex ea campi juridici veluti regione locum, cui exponendo incumberem, petere placuisset, ac statim operi manum admovere instituissem, jam multum isti disquisitioni et temporis et industriae tribueram, quum ipsa tractatione aequius de

argumento judicare sero discens, in hanc incidi persuasionem, longe meas vires tenuiores esse quam quas suscepto humeris oneri tolerando pares existimari liceret. Quam ubi initio variis rationibus confutare atque animo prorsus evellere tentarem, accidit ut, quo magis ei reniterer, eo illa firmius pectori meo inhaeresceret, mox autem sic prorsus me corriperet, ut, quod modo inchoaveram opus, nunc relinquere constituerem. At sic, utilitatis fructum si excipias, e quovis hujusce generis labore percipi solitum, ex ea vero quaestione, cui qualicumque tandem modo incubueram, mihi vel praecipue exortum, multum tamen, ad consilii quidem mei perfectionem, et operis et temporis perdideram. Aliud igitur argumentum citissime quaerendum erat, quod et facultati meae accommodatius esse certo intelligeretur, et spem suppeteret, fore, ut breve intra tempus satis idonea ratione absolvi a me posset. Nam ad finem mihi esse properandum cum alia multa suadebant, tum hoc etiam, quod meorum in hisce Minervae castris aequalium plerosque, quin eorum, qui post me ad illa accessissent, aliquos ad metam pervenire identidem viderem idque et ab aliis vulgo mihi exprobraretur et a me ipso ferri aegerrime soleret, quod, praeter modum superando, quod quasi legitimum tempus studiis Academicis concedi insueverit, in suspicionem aut levitatis aut tardissimi certe ac vel hebetis ingenii vix possem non incurrere. Sed ista cogitatio — quae ingenii mei fuit imbecillitasne dicam an proprium ei a teneris innatum studium — haud eo me perducere valuit, ut in altero, quod nunc suscipiebam, argumento severae brevitatis legibus constringi me paterer. Ita factum — multis enim digressionibus satis amplam materiem suppeditabat cum deliciis

meis, literis humanioribus, conjunctissima materies — ut multa quotidie commentando quaeque commentatus eram, adnotando, vel imprudens in eam molem excrescere lucubrationes meas sinerem, ut mox constaret, legitimos jam diu supergressum me fuisse Academicae dissertationis terminos. Ab hoc proinde labore, nisi omnem spem abjicere vellem lauream doctoralem umquam reportandi, nunc certe desistendum mihi erat. Tertio igitur a principio inde ordiri coactus, non improbante TEXIO aestumatissimo praeceptore, scribere constitui de varia ratione, qua, apud varias Europae gentes civium eligi soleant mandatarii. Argumentum, sic fortasse dicat quis, in paucis arduum ac, nostra praesertim aetate, ejusmodi, quod juvenili et facultati et modestiae minime convenire videatur. Sed teneat is, quaeso, non illud me agere voluisse, ut quid super illa re singulis in civitatibus juris esse *oporteat*, quasi ex tripode pronuntiarem, verum hoc modo, ut quid e scriptis plerumque legibus juris ubique *sit*, ita significarem ut nonnisi perraro enarratis placitis qualecumque a me latum judicium subjunctum reperiretur; quale profecto opus nemini, publici juris historiaeque scientiâ vel leviter tincto, perquam difficile accidere posse existimo. Erat tamen vel sic argumentum illud ea certe parte minus idoneum, cujus doctorali capessendo gradui tractatio adhiberetur, quod, si haec vel breviter, quantum fieri liceret, perageretur, prolixiorem tamen laborem necessario esset postulatura, quam isti usui convenire, communis fere omnium habeatur sententia. Itaque, jam exposito pro viribus varios apud populos usitato mandatarios eorum eligendi ritu, merito timens ne nunc quoque immodicum in lucem mihi edendum foret volumen, TEXIUM, clarissimum virum, hac etiam in re suasorem adep-

tus, illud agere decrevi, ut, missis nunc quidem caeteris omnibus gentibus, in unius tantum nationis, quod ad propositum argumentum, juribus consuetudinibusque referendis omnis mea consisteret disputatio; reliquarum autem leges de eligendi ritibus, postea, si et tempus et copia mihi suppeditaret, ex industriâ tractandas susciperem. Atque ita haec exstitit, de ratione, qua in praecipuis Germaniae civitatibus populi designantur mandatarii, dissertatio, de qua hoc unum dicendum mihi superest, ideo maxime Germaniae nationes considerandas me suscepisse, quod de caeteris aut nondum satis elaborata politaque mea mihi disputatio videretur, aut institutam apud illas eligendi mandatarios rationem minus certe memorabilem judicarem, de qua data operâ singularis capessendo doctoratui libellus conscriberetur. Caeterum, quot quantisque vitiis ac defectibus hoc meum specimen laboret, probe ipse perspectum me habere confiteor. Lectores, si qui mihi contigerint, ut faciles sese judices praestare velint, etiam atque etiam rogo.

Jam finem huic imponere praefationi possem, nisi unum restaret, ad quod explendum non tam mos vocat quam animus meus me impellit, gravissimum et sanctissimum officium: Vobis scilicet intimos grati animi sensus revelandi, Clarissimi, quos in hoc studiorum cursu optimos duces nactus sum, Praeceptores! Tu primum, Vir Amplissime VAN LENNEP! imperitum in literis humanioribus tironem ea me excepisti benevolentiâ, quam, velut singularem ac gratissimam dotem Tuam, ab omnibus, quibus vel semel adire Te contigerit, praedicari audiamus. Deinde, per multorum spatium annorum, innumera V. Cl. Tua in me exstitere beneficia, quae quidem designare tantum possum,

non momentum eorum perceptamque inde a me utilitatem laudare satis. Eximia enim Tua institutione veterum literarum philosophiaeque ardenti amore animum meum imbuisti. Multos exinde in omne aevum fructus me retulisse et ob illam vel solam eximias Tibi gratias debere, numquam non laetus praedicabo. At multo plus fecisti, Vir Optime! In privatam enim Tuam me admisisti consuetudinem, ubi nescio egregiane Tua veteres auctores tractandi ratione an perutili illa ac suavissima familiaritate magis delectatus fuerit animus meus! Nunc vero Cl. Vir! quanta in scholam illam, cui per annos quadraginta summum decus addideris, beneficia contuleris quotquot noverimus, vehementi dolore afficimur cogitantes, Tua jam perutili institutione destitutam eamdem inveniri. Quamquam in amplissimo, quo nunc versaris, laborum spatio favere illi minime desinis estque hoc Tibi in paucis exoptatissimum, si, quam arcto vinculo numquam non conjunctum cum illa Te sentias ipsis rebus testificari Tibi concedatur. Quod ut per longum tempus Tibi obtingat, patriaeque simul ac civibus, uti nunc consulis, sic in posterum etiam efficacissime consulendi utaris opportunitate, vota ex animo pronuntio.

Quid autem Tibi debeam, Cl. DEN TEX, studiorum meorum moderator praestantissime! animo persentire quidem possum, verbis exprimere nequeo. Tu, per omne tempus, quo hisce juridicis studiis operam navavi, insigniter de me meruisti illis omnibus affatim praestandis, quae ab humanissimo tantum duce ac fautore exspectare quem liceat. Auxilium vero in hac dissertatione scribenda larga manu mihi suppeditavisti; haerentem et incertum et tenuitatis meae sensu nimis depressum optimis Tuis consiliis efficaciter

sublevasti, erexisti, confirmasti, veram porro, qua eundum esset viâ, benevolentissime prudentissimeque significavisti. Ita, quod hanc dissertationem qualicumque tandem ratione absolvere mihi licuerit, id Tibi uni acceptum me referre, palam hîc praedicare gestit animus meus. Nunc, quod is Tibi in re publica honor, plaudentibus bonis omnibus, obtigit, quo graviorem insigniorem que nemo possit civium consequi, hunc, quae egregia Tua est felicitas, ita cum professorio munere copulare pergas, ut in patriam simul ac studiosam juventutem laetissimi ex illo connubio fructus proveniant!

Neque non Tibi multis nominibus arctissime me devinxisti, Cl. VAN HALL! Tu enim, qua omnes Tuos discipulos prosequi soles, benevolentiâ, eorum, quae quidem extra me posita essent, nihil praetermisisti, quo probabilem artis a te traditae notitiam mihimet possem comparare. Atque eam erudiendo mihi adhibuisti humanitatem elegantiamque, ut, dum per arduos illas procedebam juris civiles tramites, in amoenissimos scientiae campos deductus abs Te mihi viderer. Cujus institutionis cum salubria jucundaque fuerint omnia, hoc tamen nomine imprimis felicem me existimo, quod ad consuetudinem Tuam, exquisitae illam utilitatis, admittere me non denegaveris.

Quod Vobis V. V. Cll.! pro tot tantisque beneficiis referam, equidem non habeo; at gratum pro illis animum in omne aevum devovere Vobis cupio! Deum supplex de Vobis precor O. M., vitam felicem ac summa quaeque bona, per longam seriem annorum largiri velit Vobis Vestrisque, insigniter ita demum patriae, civium, Athenaei nostri, rei denique literariae saluti commodisque prospecturum!

INTRODUCTIO.

DE ORDINUM PROVINCIALIUM IN GERMANIÂ ORIGINE, INCREMENTIS, CONDITIONE.

Variarum, quibus imperium Romano-Germanicum, medio saeculo decimo tertio, constabat, nationum jura, instituta, res gestas, diligenter considerantibus, facile manifestum est, diversas quae in iis singulis, eo tempore, haberentur civium classes et quasi gradationes, cum illo qui principatu in re publicâ fungeretur, juris et necessitudinis vinculis admodum diversis connexas fuisse: propter commodorum autem ac privilegiorum, quae ab isto singulae accepissent, insignem varietatem, haud sane eadem omnes, sed multum a se invicem discrepantia, tamquam fausta sibi atque utilia, expetere in civitate debuisse [1]. Nam carebant etiamnum, quâ nonnulli in Europâ populi vel diu post destituti manserunt, certâ juris communione, quae satis firmiter eas inter se conjungeret eque multis

[1] Cf. Eichhorn, Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte, V. III, § 423, coll. V. II, § 299, sq. § 340 sqq. (Ed. tert.); K. D. Hüllmann, Geschichte des Ursprungs der Stände in Deutschland, (Ed. alt. Berol. 1830) P. II, Cap. I—VI.

unum civium corpus aptissimâ ratione efformaret, nec sane commune aliquod intercedebat iis vinculum, praeter hoc, quod fidei obsequiique praestandi obligatione erga eumdem omnes tenebantur, at vario plane illud modo atque conditionibus. Verum, a saeculi inde decimi quarti tempore, pluribus de causis accidisse legimus, ut aliqua inter eos ordines consociatio institueretur ac paullatim pro ejusdem patriae civibus habere illi semet invicem atque colere assuescerent. Quo nomine, mox ad communium quorundam jurium possessionem pervenisse eos apparet, quae communiter exercere, communi etiam operâ defendere eos oporteret: haec autem junctim agitando studia iisque incumbendo, quae assequi omnium peraeque interesset, arctam non potuisse non contrahere societatem, cujus quotquot participes factae sint hominum classes, publicos Ordines regionis (Landstände) nuncupari incepisse [1].

---

[1] Varias admodum eruditi viri de Ordinum provincialium in Germaniâ primordiis sententias protulerunt, quas hic recensere longum foret et a nostro argumento alienum. Sufficiat indicavisse, ab eâ, quam nos exposuimus, ratione, EICHHORNIUM maxime secuti auctorem, multos ita longe recedere, ut, sive ab ipso, quo principum in variis regionibus sese explicare potestas coepisset, tempore, naturali ac prorsus necessario effectu, Ordinum quoque repetendam esse auctoritatem existiment; sive, saeculo certe 12°, publicos jam esse habitos conventus doceant, sive decimo quarto demum hujus instituti originem adtribuant, sive denique tantâ obscuritate rem laborare pronuntient, ut, posito intra saeculum 14m et 17m temporis spatio, nihil porro accuratius audeant constituere. Conferendi autem sunt de hac quaestione gravissimâ, praeter EICHHORNIUM, l. l. V. III, § 423 et HÜLLMANNUM, l. l. P. II, Cap. VII: STRUBEN, De Statuum provincialium origine et praecipuis juribus, 1740; MOSER, Von der Reichsstände Landen, 1789, p. 347, sqq. PÜTTER, Beiträge zum Staat- und Fürstenrecht, 1777, V. I, N°. 6; HÄBERLIN, Grundlinien einer Geschichte der Deutschen Landstände, apud SCHLÖ-

Neque tamen vel ante hanc rerum mutationem ulla istarum classium juribus suis destituta fuisse existimari debet, quibus adversus principum dominationem satis idoneo tutamine uteretur, probabilis autem sibi vindicandae conditionis nancisceretur opportunitatem. Sive enim vasallos principum respicias, nec non eos qui hisce ipsis simili sese vinculo obstrinxissent, haud illi magis occupatorum a sese agrorum quam onerum, quae ferenda susceperant, nomine, circumscriptae nullis limitibus potestati obnoxii habebantur: sive equitatus ordinem, huic etiam jura sua feudalia suppetebant: sive urbanos homines, certis hi, iisque satis amplis, instructi fuerant privilegiis: utrique praeterea classi, circa gravissimas quaestiones, scripta saepe in promtu

ZERCH, in: Staatsanzeigen, N°. 67, p. 265—277 (1792); Idem, Handbüch des Teutschen Staatsrechts, V. II, § 197; C. H. LANG, Prüfung des vermeintlichen Alters der Teutschen Landstände, Gött. 1796; A. L. JACOBI, Auflösung einiger Zweifel über das Alter und Repräsentationsrecht Teutscher Landstände, Hannov. 1798; C. G. WEBER, De vera ordd. Prov. tum in Germania generatim, tum speciatim in Bavariae ducatu, epochâ recte constituenda, Lips. 1797, Diss. I et II; J. F. E. LOTZ, Staatswissenschaftliche und Juristische Nachrichten, Ann. I, V. I (Hildburgh. 1799) N°. 27—30; E. G CURTIUS, Von den Landräthen (Geschichte d. Landstände in verschied. Teutsch. Ländern) in Ejusd. Historische u. politische Abhandlungen (Marb. 1783) p. 127—199, coll. 1—25; K. T. HARTMANN, Ueber den Ursprung und das Verhaltniss der Landstände (Nurnb. 1805); SEB. BRENDEL, Die Geschichte, das Wesen und der Werth der National-Repräsentation, Bamb. u. Leipz. 1817, I. p. 41, sqq. 220, sqq. II, p. 1, sqq. C. A. ZUM BACH, Ideen über Recht, Staat, Staatsgewalt, u. s. w. (Cöln. 1817) V. II. p. 166—238; R. MOHL, Dissertatio Inauguralis, sistens discrimen Ordd. prov. et Const. repraesentativae (Tub. 1821) p 8, sqq. KLÜBER, Oeffentliches Recht des Teutschen Bundes, Francof. ad M. 1840, § 281; D. R. MAURENBRECHER, Grundsätze des heutigen Deutschen Staatsrechts, Ff. ad M. 1837, § 148.

erant jura, unde status sui servandi et a principum libidine tuendi haud exiguum adjumentum repeterent. Nec Nobilium ordini, si ab iis recedas quae ipsa feudali necessitudine continerentur, ulla erant officia imposita: nec Praelatis denique, praeter ea quae ex patronatu sponte ducerent originem [1]. Accedit, quod, publici juris hac aetate convenienter principiis, jam antiquiori tempore, usus comitiorum invaluerat, quibus de praecipuis rei publicae quaestionibus perageretur deliberatio: quippe negari hoc certe non posse videtur, sicuti in caeteris fere feudali regimini subjectis civitatibus, ita in Germaniae quoque provinciis, ordinum de re publicâ conventibus instituendis, opportunitatem saepe, magnâ parte, praebuisse morem illum, ab ipsis inde rei feudalis primordiis usurpatum, quo, statis ac solemnibus quibusdam diebus, vasalli superiorisque ordinis pontificii, in aulâ principis convenire, magnâ et ipsi suorum hominum stipati frequentiâ, solerent: quod enim institutum, quum principio ad decus tantum ac fidei officiique praestâtionem pertinuisset, mox agitandis de re publicâ consultationibus inserviisse, magnaeque inde fuisse utilitatis ad vasallorum jura servanda augendaque, novimus: cum, quibus adeundorum istorum conventuum incumberet officium, hi, fieri minime potuerit, ut, circa quaestiones in illis pertractari solitas, suffragii perpetuo destituti manerent auctoritate. Quae res tum aliis multis testimoniis docetur, tum confirmationem accipit ex eo, quod in bene multis, hoc tempore editis, cujuscunque generis principum decretis et con-

---

[1] Eichhorn, l. l. V. III, § 423, coll. V. II, §§ 263, 264. 304, 306, 309, 310—313, 324, 340—348.

stitutionibus, expresse memoratam clausulam reperimus, vasallos suam adsensionem interposuisse [1].

Ad illius certe quo Germanicarum regionum principes fungebantur imperii naturam pertinuisse dicendum est, ut quotquot illi subjecti erant cives magis magisque in eandem quodammodo conditionem delaberentur, cujus initio ii tantum participes exstitissent, quibus in propriis imperantium agris domicilium suppeteret: quandoquidem constat, plane ad immobilium dominii similitudinem excultum firmatumque modum illius potestatis fuisse: principibus vero, jura sua eam ad normam amplificare studentibus, ipsa constitutionis Germanicae hoc tempore incrementa plurimum auxilii praestitisse [2]. Quum autem omnium paene vinculorum dissolutio contigisset, quibus olim, nullis interpositis, cum ipso Germaniae Imperatore variarum terrarum incolae conjunctos sese vidissent: antiqua porro in dies evanesceret institutorum ratio, ipsis illis incolis studium oboriretur necesse erat, quo firmiorem sibi certioremque juris publici rationem compararent, arctioris cum suis principibus, cumque ejusdem patriae civibus, instituendae consociationis: at haec, ne idoneo fundamento careret, praelatos, equites, urbanos oportebat in moderatores plus omnino conferre potestatis quam usurpatum ab iis ad illud usque tempus fuisset: plus praesertim onerum, ipsos, rei publicae gratiâ,

---

[1] HÜLLMANN, l. l. P. II, c. 7. EICHHORN, l. I. V. II, § 309; coll. J. D. MEYER, Esprit, Origine et Progrès des Institutions Judiciaires des principaux pays de l'Europe, L. III, ch. 2, L. IV, ch. 2, p. 32; HALLAM, View on the State of Europe, during the middle ages, V. I, ch. I, P. II, p. 244–246.

[2] EICHHORN, l. l. V. III, § 423, coll. V. II, § 394, 396.

perferendum suscipere quam olim explere voluissent. Quae quum ita sese haberent, ad interiorem societatem conciliandam, universos ordines ipsa rerum necessitas, naturali quodam impulsu, permovisse censenda est, nec nisi quae extrinsecus eos ageret causa, etiamnum defuisse: haec vero, ubi tandem exstitisset, eam diversis nationibus habuissse diversitatem, ut nequeat primis illis, quae inde effluxerint, ordinum consociationibus, commune aliquod consilium communisque vis et efficacitas adtribui [1]: nisi hoc proprium omnibus habeatur, quod ex hisce velut principiis plura deinceps amplioraque conjunctionum istarum jura exorta sint laetissimeque effloruerint. Neque hic objecturum aliquem confidimus, antiquissimae illae societates, multum sane abesse, ut universae permanserint, verum saepe, causâ quae ortum iis praebuisset sublatâ, ipsas quoque intercidisse. Absurdum enim foret statuere, quae initio nonnisi in tempus efformatae fuissent, has ideo penitus exstingui debuisse: quaeque fieri non posset, ut vim suam continuo exsererent, omni dehinc efficaciâ, omne in aevum, necessario caruisse. Saepe, scilicet, accidisse novimus, ut quum sic esset inita conjunctio, ut perrectura haud ultra certum tempus videretur, postea, tacito quodam adsensu, perennitatem adipisceretur: neque sane est ut miremur, qui ejusmodi propter negotia societatem contraxissent, quibus curae industriaeque impensio minime perpetua sed subinde tantum renovata postularetur, eos haud saepius quam communiter agendi rediret opportunitas, eorum quae ad institutum quasi pactum pertinerent, tractationi incubuisse [2].

---

[1] Eichhorn, l. l. V. III, § 423, imprimis notâ c.

[2] Eichhorn, l. l. ibid.

Sin autem rationem spectamus, quà initae illae societates confirmatae, iisque certa jura agendique certae normae et consuetudines exortae fuerunt, in eandem necessario varietatem incidimus. Quapropter, quum ordinum comitiorum, antiquis iis temporibus usurpatorum, ejusmodi dari nequeat descriptio, quae omnibus peraeque sit accommodata, neque vel sic rite sibi hac in re satisfacere quis possit, si, quae ut plurimum obtinuerint, diligenter conatus fuerit exponere, quotquot accuratam, quantum fieri liceat, istorum conventuum sibi comparare cupiant notitiam, his singularum regionum singulatim adeunda est historia, saepe illa impedita propter testimoniorum sive defectum sive obscuritatem [1]. Verum enim vero, illud commune universis iis conjunctionibus fuisse existimandum est, quod, quum acquisitorum ab ordinibus jurium vindicandorum in omnibus cerneretur consilium, horum sane jurium praecipuum omniumque acerrime expetitum, in quo scilicet tuendo excolendoque omnis prope hujusce instituti ratio ac progressio contenta fuerit, immunitatem a tributis exigendis spectasse novimus, ne possent ordines ullis gravari oneribus praeter ea, quibus ex ipsis juris publici principiis obstricti necessario haberentur [2]. Cujus igitur juris custodiendi gratiâ, non tantum plerasque earum conjunctionum efformatas, verum illius quoque efficacitate ab interitu vindicatas ac brevi tempore, mirifice amplificatas fuisse, certum est. Etenim, quum, privatis inimicitiis

---

[1] EICHHORN, l. l. ibid. Cf. KLÜBER, Oeffentl. R. d. T. B. § 281.

[2] EICHHORN, l. l. V. III, § 424, not. a et aa; HÜLLMANN, l. l. P. II, C. VI, p. 651, sqq. Cf. H. P. MEERMAN, Verhandeling over de Graaflijke Beden in Holland, passim, impr. p 89, sqq.

gerendis aliisque factitandis, quae sumtus paene immodicos requirebant, multorum principum magnopere deminuta res familiaris fuisset, huic autem supplendae nullo amplius modo reditus ipsorum ordinarii sufficerent: in summum intereundi periculum ne universa civitas adduceretur, metuendum profecto videbatur, nisi, tollendae calamitatis gratiâ, novum aliquod excogitatum esset remedium, quo adhibendo, tum praesenti inopiae subvenire, tum, ne simile malum in posterum etiam rediret, satis rite prospicere liceret: quale remedium, quum, unde peteretur, haud fere esset, quandoquidem, et prioribus ordinibus a pendendis tributis immunitas suppeditabat, et rusticos censititiosque homines efficaci praestando auxilio prorsus impares esse apparebat, neque, ut praeter modum illi gravarentur, expedire ipsis imperantibus judicabatur, sic avertendi periculi nulla plane ratio supererat, nisi ad praelatos, equites, urbanos, sese converterent principes, rogaturi eos ac quasi precaturi, vellent in tantà rerum importunitate sibi adesse, ac bene merere tam de sese quam de universà civitate, extraordinario aliquo munificentiae documento, sive aeris alieni, quo misere ipsi premebantur, suscipiendà solutione, sive doni alicujus pecuniarii in certum numerum annorum largitione promittendâ, sive, quocunque tandem modo, auxilii praestationis declarandà voluntate [1]. Et principio quidem cum accidere aliquoties potuerit, ut, antequam societatem ordines contraxissent, istiusmodi jam petendi subsidii exorta neces-

[1] EICHHORN, l. l. ibid. coll. V. II, § 306, ubi de verà *precariarum*, tum ordinariarum, tum extraordinariarum origine atque naturà, accurate disputatur; HÜLLMANN, l. l. C. VIII, p. 652, 653.

sitas fuisset, haud profecto exempla desunt singulorum ordinum, singulatim, eo consilio, advocatorum, nec non, singulis cum urbibus singulatim institutae consultationis, unde factum, ut nulla tum etiam, e petitionibus principum, ordinum societas existeret. At longe quidem saepius contigisse videtur, ut, aut novam omnes peraeque gratiam rogaturus, convocandos jam statim ordines princeps curaverit, aut certe, quam singulatim hi adepti essent sponsionem, tale remedium minime fore ut iterum a principe adhiberetur, communi operâ defendendam sibi existimantes, ineundae consociationis sponte exinde nacti sint opportunitatem [1]. Utut est, ex pecuniariis hisce concessionibus ordinum insigniter crevisse momentum atque auctoritatem, ad nova ac praeclariora magis magisque nanciscenda, viam sibi egregie sternentium, notior profecto res est quam ut multis disputari a nobis debeat. Apparet enim, et principes, simili crebro ordinum auxilio indigentes, ad eundem, tamquam unicum, salutis portum saepissime confugisse, et ipsos ordines hoc imprimis assequi gnaviter studuisse, ut morem petentibus gerendo, cum insigni suà utilitate benevolos semet erga principes exhiberent, commoda privilegiaque sibi paciscentes ejusmodi, quibus conditionem suam mirifice essent emendaturi [2]. Cujus quidem rei exemplis cum referta sit variarum Germanicarum regionum historia, patet, illud quidem frequentissime ordines a principibus impetravisse, ut solemniter hi profiterentur, ex solà ipsorum gratià ac benevolentià, nullo suo jure, rogatas sibi largitiones obli-

---

[1] Eichhorn, l. l. ibid. Not. d—g.

[2] Eichhorn, l. l. ibid et § 427; Hüllmann, l. l. p. 653, sqq.

gisse: sponderent autem, minime sese commissuros, ut in posterum quoque similem ab iis gratificationem expeterent [1]: neque raro etiam factum fuisse, ut, quo plus promissis illis adderetur firmamenti, sibi, ea negligentibus, vi et armis obnitendi libertatem, haud ambiguâ declaratione, ordinibus imperantes vindicarent [2]. Quorsum scilicet pertinent quae de JOANNE I, Brabantiae Duce, memoriae prodita reperimus, eum, quum, obrutus aere alieno, tributi ab ordinibus concessionem impetravisset, quamque diximus obligationem, ipsis postulantibus, et sibi et posteris suscepisset jurisque jurandi religione confirmavisset, non tantum ordinibus ancipitem illam resistendi facultatem, si secus fecisset, adseruisse, verum etiam praecipuarum urbium magistratibus veniam largitum fuisse, ut, seditionem agitantibus nobilibus, operam suam, quâcunque visum esset ratione, adjungerent iisque portas urbium recludendas, eo consilio, curarent [3]. Cui haud dissimilem a fide et obsequio liberationem equitum suorum ordini RUDOLPHUS et LUDOVICUS, Bavariae Duces, anno 1302, impertiisse traduntur, iisque, pacto semet obstringentibus, quominus umquam novae petitioni essent adstipulaturi, publice rem comprobavisse, at paullo post, iterum urgente calamitate, eo se vidisse redacti, ut, neglectâ promissione, a junctis ordinibus, clericis, nobilibus, urbanis, novam auxilii praestationem requirerent, in illius autem impetrati gra-

---

1 EICHHORN, l. l. ibid.; HÜLLMANN, l. l. Cff. ex historiâ patriae, exempla, Comitis GULIELMI, anni 1334, ALBERTI, anni 1369, citata ab HEENEMANNO, Diss. l. p. 102.

2 EICHHORN et HÜLLMANN, ll. ll.

3 HÜLLMANN, l. l. p. 655, sq.

tiam, monetae cudendae facultatem deinceps iis attribuisse [1].

Quam vero temere et absque ullo respectu futuri sic fere polliciti principes fuissent, mox plerumque apparuit, quum, ut in eo quod memoravimus Ducum Bavariae exemplo, rediens inopia ejusdem implorandi remedii necessitatem principibus imponeret inque ordinum favore atque indulgentiâ unam iis relinqui sineret e tantis difficultatibus feliciter sese expediendi spem. Quâ quidem in re noluerunt fere ordines acriter imperantibus tergiversari, concessamque sibi resistendi auctoritatem adhibere, tum, quod ipsi etiam, afflictis rebus nullâ posse aliâ ratione subveniri, persuasum sibi habebant, tum maxime existimantes, non esse, ut propriis commodis melius per se consuleretur quam si quotquot oblatae sibi fuissent jurium suorum confirmandorum amplificandorumque opportunitates, diligenter arripuissent ac, quantum maxime liceret, utilitatis inde percipere studerent. Accedit quod in morigerando principum voluntati tanto faciliores eos sese praestare necesse erat, quanto magis ex illorum temporum constat historiâ, extremum remedium, si opem ferre ordines denegavissent, certorum tractuum alienatione faciendâ, reliquum principibus fuisse: juribus vero ac prosperitati civium infestissimas fere hujuscemodi cessiones exstitisse, a quibus igitur ut studiose ca-

---

[1] EICHHORN, l. l. not. e; HÜLLMANN, l. l. p. 656 sq. Observatu quoque dignissima sunt quae inter OTHONEM, Inferioris Bavariae Ducem atque illius regionis Ordines, anno 1311, gesta commemorantur: neque non allatis exemplis ea possimus adjicere, quae ex rebus Misniensibus, Thuringicis, Saxonicis, annis praesertim 1308, 1350, 1376, 1385, 1411, 1423, repetere liceat. Vid. de iis HÜLLMANNUS, p. 657—664.

veretur, omnium maximi ipsorum interesset. Unde saepe fieri necessario debuit, ut propter urgentem calamitatem pecuniarium auxilium rogati ordines, a majori, si recusassent mox orituro, sibi metuentes periculo, propositum sibi onus omnino suscipi a sese debere judicarent, ne et ipsi et omnis fortasse res publica penitus pessumdarentur [1]. Ex quo vero fonte hoc etiam profluxisse videmus, quod, ne tam ancipiti rerum statu facile principes abuterentur, summo studio curandum sibi magis magisque ordines existimaverint, primarium igitur eorum jus et quasi officium in eo versari inceperit, ut circa veram illius quod petitum esset praestandi subsidii necessitatem, judicium interponerent. Quapropter, postquam, procedente tempore, ex mutatis paullatim publici juris principiis vel exigendorum tributorum facultas quaedam adscribi regionum imperantibus coepisset, mansit tamen vel sic ordinum auctoritas in statuendo, hujusce generis remedium an, caeteris omnibus deficientibus, propter summam aerarii inopiam, per leges usurpari liceret [2]. Atque ex illo jure, quo principibus competierit, uti, ordinum convenienter sententiae, pensiones a civium universitate requirerent, magis esse, ut eorum etiam qui sententiam rogati minime fuissent, ferendi indicti oneris obligatio derivetur quam ex tributâ quâdam ordinibus auctoritate consensum suum, aliorum etiam nomine, interponendi, a doctissimis viris, ad optima hac in re testimonia provocantibus, admodum verisimiliter disputatum arbitramur [3].

---

1 Eichhorn, l. l. § 425, coll. § 424, p 223 et § 427, N°. 6

2 Eichhorn, l. l. ibid.

3 Eine Einigung die dafür sorgte, dass von solchen Fällen kein

Satis igitur patet societates istas, a praecipuis in unâquâque regione hominum classibus institutas, parvis exorsas principiis ac ferme nullis, faustissimâ rerum eventuumque serie atque concursu, imprimis vero communi virium intentione, in eorum, quae ipsis ordinibus ab antiquâ inde aetate suppeterent, conservatione, explicatione, emendatione, aptissime collocatâ, brevi tem-

Missbrauch gemacht werden könne, erschien daher nothwendig dem ganzem Lande als etwas wöhlthätiges, und trug gerade am meisten dazu bei, dass sich das ganze Land in dem Verhältniss *einer Gemeinde* betrachtete, daher denn auch, je langer die Vereinigung dauerte, um desto bestimmter das Repräsentationsrecht dieser Einigung hervortritt. Dass dazu eine Volmacht derer gehöre, die nicht in der Einigung waren, konntte in einem Lande, wo von jeher die Verfassung der meisten Gemeinden ihren Mitgliedern ungleiche Rechte gab, Niemanden in den Sinn kommen: die vereinigten Stände waren durch ihr ganzes politisches Verhältniss die eigentlich vollbürtigen Staatsbürger, das was in allen Gemeinden die schöffenbaren Leute waren. Ihre Verwilligungen konnten also als ein Beweis der von dem ganzen Lande anerkannten gemeinen Last gelten: aus der Natur der jetzt bei veränderter Reichsverfassung enger gewordenen Verbindung, ging die Nothwendigkeit hervor, in einem solchen Falle ein Besteurungsrecht des Landesherrn anzuerkennen, und, kraft dieses Besteurungsrechts, nicht kraft eines Einzelnen zustehenden Verwilligungsrechts für andere Einzelne, erhob der Landesherr die verwilligten Steuer von denen welche sie nicht selbst bewilligt hatten. Dass die Urkunden die der Landesherr darüber ausstellte, bloss dahin lauteten, dass die in der Einigung begriffenen bloss nach ihrem *guten Willen* etwas verwilligt hätten und dass künftig ihnen keine Steuer wieder angesonnen werden solle, bestärkt gerade jene Ansicht von der wahren Bedeutung des landständischen Repräsentationsrechts am vollkommensten, denn hiernach *verwilligten* freilich die Einzelnen nur *für sich*, das Land aber wurde besteuert, weil die vollbürtigen Mitglieder der Landesgemeinde sich zu einer Hülfe verstanden hätten und also Niemand an dem Daseyn einer wahren Landeslast zweifeln konnte. Eichhorn, § 425. Cff. etiam quae in eamdem rem disputavit, § 424, not. a, p. 225, sq.

pore eo fuisse progressas, ut, auctà magnopere jurium earum tum multitudine tum gravitate, eximium fere in gerendâ re publicâ locum vindicare sibimet potuerint. Atque ipsos principes, quo magis in eà se versari conditione perspicerent, ut operâ auxilioque ordinum circa civitatis administrationem nullo plane modo possent carere: iis autem ut amicis sibi ac faventibus uterentur, suâ omnium plurimi interesset, hoc paratiores sese praebere necesse erat in iis indulgendis quae, tamquam gratiae munificentiaeque pignora, expeti a civibus solerent, quâ scilicet nulla iis suppetebat eorum sibi animos devinciendi efficacior ratio. Restat autem ut paucis videamus, quorumnam potissimum jurium ordines illi provinciales, in plerisque certe regionibus, compotes exstiterint, quo de muneris ipsorum indole ambituque, nec non de praeclaro quod tandem consecuti sunt momento, certius ferre liceat judicium. Et primum quidem omnium, quippe ex quo communi fonte caetera prope omnia quibus deinceps gavisi sunt jura profluxerint, referenda huc est solemnis illa imperantium promissio, nullum hos tributum ab ordinibus exacturos nullumve civibus universis imposituros, nisi adsensum suum ordines declaravissent [1]. Quamquam, firmato magis magisque principum imperio ab iisque, ut supra monuimus, vectigalium quoque petendorum usurpatâ facultate, fieri non potuit, quin quodcumque jus circa gravissimum hocce argumentum ordinibus attribueretur, magis ad obeundam deliberationem pertinere quam

---

[1] STRUBEN, De Statuum provincialium Origine, § 5—19; EICHHORN, l. l. § 427, N°. 1; MAURENBRECHER, Gundsätze des heutigen Deutschen Staatsrechts, § 155.

veram interponendi consensus necessitatem complecti inciperet. Quo factum, ut, recentiori certe tempore, in plerisque civitatibus hoc maxime arbitrio ordinum subjectum habitum fuerit, ut de impositorum vectigalium probabilitate deque optimo ritu tum distribuendi oneris tum exigendi sententiam a principe rogarentur [1]. Atque inde explicandum est, cur in quibusdam Germaniae regionibus ubi ordinum provincialium antiqua ratio et compositio ad hunc usque diem servata fuit, eâdem illi nunc etiam juris utantur conditione [2]. Propter hanc vero circa rem tributariam auctoritatem, illud jam mature actum ab ordinibus fuisse novimus, ut, quum male ab administris principum custodiri permissam a sese pecuniam saepius comperissent aliisque usibus adhiberi quam quorum gratiâ unice eam largiti fuissent, certae sibi partes in administratione aerarii gerendae committerentur, has autem aliis in regionibus uno poscendarum rationum jure fuisse contentas, in aliis ipsam vectigalium perceptionem atque adservationem, in aliis denique ad singulas legitimas necessitates spectavisse destinationem [3]. Cujus praecipue juris exercendi gratiâ, si non institutus fuisse, at magnopere tamen increbuisse mos iste videtur, quo certis quibusdam negotiis obeun-

---

1 Eichhorn, l. l. § 425. Cf. Moser, Von der Landeshoheit in Steuersachen, Fcf. et Lips. 1774, p. 648; Häberlin, Handbuch des Teutschen Staatsrechts, V. II, p. 49, sqq. Maurenbrecher, l. l. Cum hac autem juris ordinum circa vectigalia descriptione, notissimum plane convenit eorumdem paroemium: »wo wir nicht *mitrathen*, da wollen wir auch »nicht *mitthaten*."

2 Maurenbrecher, l. l. not. 6.

3 Eichhorn, l. l. § 427, N°. 5 et not. 1; Hüllmann, l. l. p. 654 Quali jure in nonnullis Germaniae regionibus hodienum ordines utuntur.

dis, tum ut essent, qui ordinum vice fungerentur, quo tempore congregati illi non essent, aliquot liberis suffragiis designari socii solerent, quorum selectorum in nonnullis quidem civitatibus paullatim usque eo crevisse dignitatem accepimus, ut ab iis solis munus ordinum gereretur universum nec horum proinde conventus, nisi ad mandatarios illos designandos, moris amplius esset haberi [1].

Quum vero pecuniarii petendi subsidii causa atque opportunitas primaria, antiquo certe tempore, e bellicâ quam princeps suscepisset, magnos sumtus allaturâ, ut plurimum, nasceretur expeditione, alia hinc sponte fluxit, saepe ab imperantibus facta, promissio, nisi institutâ cum ordinibus consultatione, nullum publice geri licere bellum: certe nullam, compensandis belli sumtibus, pecuniae donationem requisitum iri [2]. Ad eamdem ferme rationem, quum, a rerum inde ipsorum primordiis, in eo potissimum cura ordinum versata fuisset, ut quae olim acquisivissent privilegia, novis semper principum sanctionibus, ad majorem magis magisque firmitatem promoverentur, spopondisse omnium prope frequentissime variarum regionum imperantes re-

---

[1] Cf. de hocce ritu: EICHHORN, l. l. § 426, not. a; HÜLLMANN, l. l. p. 662; MAURENBRECHER, l. l. § 154, qui, de potestate agens, quam selectorum ista collegia (Ausschusse) in nonnullis regionibus consecuta sunt, Anhaltinarum terrarum utitur exemplo, ubi ab antiquo inde tempore substituti hujuscemodi coetus ordinum conventibus fuerunt. Caeterum, simile placitum hodienum in multarum Germaniae civitatum legibus publicis receptum fuisse, notum omnibus. Cf. KLÜBER, Oeff. R. d. T. B. § 298, not. f; VON ARETIN, Staatsrecht der Constitutionellen Monarchie, V. II, P. II, p. 196.

[2] EICHHORN, l. l. § 427, N°. 2, coll. § 414.

perimus, diligenter sese servaturos quaecumque sive ipsi sive majores sui tum ordinibus tum unicuique civium largiti jura privilegiaque fuissent[1]: propter arctum autem vinculum, quod cum agrorum dominio magnae horum privilegiorum parti intercedebat, haud raro etiam accidisse, ut hancce pollicitationem ordines impetrarent, minime passurum principem, ut agrorum, quo quisque uteretur dominium pendentiaque inde jura ac privilegia ullà ratione violarentur [2]. Diximus autem supra diligenter fere ordines cavendum sibi existimasse, ne aliquâ sui parte, quamcunque ob causam, res publica spoliaretur: facile igitur inde profluxit vindicatum ab iis juris publici praeceptum, ipsam ne distrahi fas esset civitatem, nec partium ejus cujuscunque generis alienationem absque ordinum auctoritate suscipi [3]. Eidem autem consilio prospiciendi ut una, quantum fieri posset, civitas maneret neque in varias partes distringeretur, illud etiam debuit inservire, quod, imperantium convenienter declarationibus, quoties inter plures, simili jure, principes obortum dissidium fuisset, solis ordinibus competeret arbitrorum eâ in lite peragere officium, aut vel eum, cui potiorem esse juris conditionem existimarent, praestito contra male ei adversantem auxilio, confirmare [4]. Sed omnibus iis memoratis ordinum juribus atque facultati-

[1] EICHHORN, l. l. ibid. N°. 4, coll. § 414, p. 148, N°. 3, § 423 not. c; HÜLLMANN, l. l. p. 663, in f.

[2] Idem, ibid. N°. 3, coll. § 415.

[3] Idem, ibid. N°. 6 et not. m, coll. § 414, p. 147, N°. 1, § 423, not. c, § 424, p. 223; STRUBEN, De Stat. Prov. Orig. § 17, sq. MOSER, Von der Deutsch. Unterthanen Rechten u. Pflichten, Fcf. et Lips. 1774, p. 103, sq.

[4] Idem. ibid. N°. 7.

bus tamquam cumulum adjecisse cautio illa nobilissima dicenda est, qua ab omni vi atque injuria servandi illa atque defendendi eximium iis instrumentum praeberetur: ut scilicet vel citra principis advocationem congredi ipsis liceret armisque illi resistere, simulac libertatem privilegiaque illorum violare haud reformidavisset [1].

Verum haec omnia, utut vel sic praeclara videri possint, multum tamen abest ut universum jurium ordinibus identidem concessorum ambitum comprehendisse existimari debeant. Namque grave imprimis, ut hoc utamur, ac salutare munus ipsorum tum saepe sese exhibuisse certum est, quando, ob magnam aliquam ac prorsus insolitam calamitatem, in quâ principis deficeret imperium, praesenti autem indigeretur remedio, a nemine praeter ordines exspectari periculi repulsionem liceret: quod imprimis profecto valet de iis temporibus, ubi, propter minorem legitimi principis aetatem, pollentes quidam et viribus et audacia cives exstitissent, quos ancipitis rerum status in suum commodum praeter leges adhibendi studiosos esse appareret [2]. Efficacem praeterea operam saepissime ab ordinibus praestitam fuisse novimus in querelis ac supplicationibus, sive universae nomine civitatis, sive, quas singuli cives edidissent, ad principem perferendis, postulandoque ut, qui malis artibus, contra jura privilegiaque civium, in rem publicam irrepsissent abusus tollerentur [3].

---

1 Vid. supra, p. 10. Addantur STRUBEN, De Stat. Prov. Orig. § 24; EICHHORN, § 427, N°. 8 et not. o; HAUSMANN, Beiträge zur Kenntniss der Kursachs. Landesversammlungen, V. II, p. 1, sqq.

2 EICHHORN, ibid. p. 246 et not. p. Exempla occurrunt apud RUDHART, Geschichte der Landstände in Bayern, V. I, p. 167 et 503, sqq. KURZ, Oesterreich unter Kaiser FRIEDRICH IV, p. 13, sqq.

3 EICHHORN, ibid.

Denique, jam admodum mature insignes fuisse ordinum partes videntur in consiliis super variis administrationis publicae negotiis cum principe communicandis, cui scilicet officio consentaneum erat creberrime eos ab ipsis imperantibus adhiberi [1]: unde factum ut magis magisque in ipsa etiam legum latione eorum sese explicuerit auctoritas, ab altera vero parte, ex ordinum isto concursu, ad potestatis dignitatisque suae amplificationem, in variis Germaniae regionibus eximie principes proficere potuerint [2]. Itaque, quum ad altissimum, saeculo decimo sexto, ordinum in provinciis Germanicis auctoritas evecta fastigium fuisset, hanc etiam iis nonnumquam datam promissionem invenimus, absque eorum consilio, nihil paulo gravioris momenti in civitate peragi licere idque reapse in publicis institutis observatum fuisse.

Atque huc etiam pertinuit quod, postquam, saeculo decimo sexto, e sacrorum emendatione vehementia per universam Germaniam exorta dissidia fuissent: cultus autem divini procuratio juriumque inde pendentium tutela gravissimis, summâ omnium contentione agitandis quaestionibus ansam deinceps praebuissent: saepe quoque ordinum in gratiam constitutum legimus, ne, absque eorum auctoritate, circa religionem publice quid immutari liceret [3]. Caeterum obtinuisse fere illâ aetate videmus ut quaecumque jura olim ordines acquisi-

---

1 Idem, ibid. p. 247, coll. V. IV, § 246.

2 EICHHORN, ibid. et not. q, r et s; coll. MAURENBRECHER, Grundsätze d. heut. Deutsch. Staatsr. § 155, not. d.

3 EICHHORN, l. l. V. IV, § 546, coll. §§ 502, not. c, 508, 514. Videantur hujus promissionis exempla apud LÜNIG, Von der mittelbaren Ritterschaft, p. 878; MOSER, Von der Reichsstände Landen, p. 979, 1069, 1086, sqq.

vissent, haec iis, aut cum re publica princeps potiretur, aut alia solemni opportunitate, diserte confirmarentur: novis vero tribuendis ejusmodi subinde a principibus ederentur decreta, quae, sive Reversus [1] sive Privilegii [2] celebrata appellatione, nullius nec belli suscipiendi neque ineundae pactionis, inconsultis invitisque ordinibus, promissionem saepe continerent [3].

Ordinum societatis licet ea plerumque ratio fuerit, ut praecipuis de salute publicâ consultationibus obeundis trinae hae civium classes, Praelati, Equites, Urbes admoveri a principibus solerent: quotquot autem ad harum nullam pertinerent, etiamsi sententiam rogati minime fuissent, decretis tamen illis, quibus auctoritatem suam advocati ordines interposuissent, haud secus atque illi censerentur obligari: liberum nihilo minus manere debuit principibus, ut, quandocunque sibi videretur expedire, consuli solitis ordinibus alias etiam classes hominum adsociandas adque similium spem jurium ac honorum provehendas curarent [4]. Unde factum ut, quum manumissionum ab antiquo inde tempore frequentiâ, tum aliis causis bene multis, quas longum hic foret enumerare [5], minime spernendam conditionem in variis Germaniae civitatibus liberi homines rustici obtinuissent, haud raro facile iis contigerit ut, aut prin-

---

1 EICHHORN, l. l. ibid. init. coll. HAUSMANN, Beiträge zur Kenntniss der Kursächs. Landesversammlungen, V. II, p. 64, sqq.

2 EICHHORN, ibid. coll. SPITTLER, Geschichte des Fürstenth. Hannover, V. I, in Append. n°. 3, sqq.

3 EICHHORN, ibid. LÜNIG, l. l. p. 883; HAUSMANN, l. l. p. 72, sqq.

4 EICHHORN, V. III, § 425, p. 236.

5 EICHHORN, V. III, §§ 337, 342, 343, 368, IV § 448; HÜLLMANN, Gesch. des Ursprungs der Stände, p. 460, sqq.

cipes crescentem ipsorum prosperitatem rite sibi habentes perspectam, simili ac quo superiores ordines uterentur, circa rem publicam jure eos exornarent, aut vel ipsos propriae salutis studium ad societatem cum reliquis ordinibus contrahendam impelleret, unde rerum suarum emendandarum eximiam deinceps nanciscerentur opportunitatem [1].

Utut vero, eâ quam diximus ratione, praeclaras fere in gerenda re publica partes ordines sibi provinciales adseruissent, tantaque iidem in sua quique civitate florerent existimatione, ut, nisi instituta cum iis deliberatione, paulo gravioris momenti vix quidquam amplius perageretur [2], neque adeo deessent juris periti scriptores, extollendae ordinum auctoritatis eum in modum studiosi, ut cum ipsis Imperii Germanici Statibus comparandos eos praedicarent [3]: eorum tamen sententiam admittere minime dubitamus, qui decrescentis ordinum in rei publicae administrationem efficaciae, a priori

---

1 EICHHORN, ibid. et not. e et f; MOSER, V. d. Deutscher Unterthanen Rechten und Pflichten, p. 235; KLÜBER, O. R. d. T. B. § 289, qui nationes, apud quas tali jure rustici homines fructi olim fuerint, hasce tantum enumerat, videlicet: Tyrolenses, Thornenses, Hadelnenses, Hoyenses, Kemptenses, Baireuthenses, Frisones Orientales, Wurtembergenses. Cf. LÜNIG, l. l. p. 437; MOSER, von der Deutschen Reichsstände Landen, p. 468, 459, 473; LANG, Histor. Entwickelung der Teutschen Steuerverfassungen, p. 227; SPITTLER, Geschichte von Würtemberg, p. 102; MAURENBRECHER, Grundsätze des heut. Deutsch. Staatsrechts, § 152; E. M. ARNDT, Ueber den Bauerstand u. sein. Stellvertretung, Berl. 1815.

2 Ordinibus nonnumquam spopondisse principes reperimus, eorum se sententiam quâvis graviore opportunitate rogaturos. Cf. EICHHORN, V. IV, § 546, ibique not. e; MAURENBRECHER, op. cit. § 155.

3 EICHHORN, § 546, a quo hanc in rem citatur LUD. HUGO, De Statu Regionum Germanicarum, p. 173.

maxime saeculi sexti decimi parte repetendum existiment principium. Cujus quidem rei in causa, tum alia, tum hoc maxime fuisse videtur, quod in iis legibus, quae universi nomine Imperii decernerentur, haud magis jura quaedam legitima provincialibus ordinibus adtribui quam muneris ipsorum describi ratio ambitusque solerent: unde scilicet factum, ut juris professorum haec paullatim invalescere, propter insignem vero, qua hi uterentur, auctoritatem, plerisque persuaderi coeperit opinio, adscribi haud ulla jura civitatum ordinibus licere, praeter ea, quorum iis velut tralatitia suppeteret possessio: quibuscum igitur conjunctae ubi tractandas sese obtulissent quaestiones, sic tantum non esse ut, inconsultis illis, proprio marte, rem principes absolvere conarentur [1]. Quapropter, licet iis certe constituendis, quibus difficilior proposita pertractatio videretur, in consilium numquam non adscisci ordines invaluisset, vera tamen sive adsensu confirmandi sive prohibendi improbatione eatenus solum iis competere facultas ducebatur, quatenus eam, aut a remotis inde temporibus usurpavissent, aut vel postea, paciscendo adepti a principibus fuissent. Huc gravis mox accessit ipsius, quod memoravimus, eorum in suadendo positi muneris jactura, postquam, increbrescente magis magisque stipendiariorum, ad hoc unum officium electorum consiliatorum usu, ordinum circa illud operâ facile sibi supersedendum animadvertere coepissent imperantes [2]. Neque, ut paucis rem complectamur, mirandi ulla causa suppeditat, de antiquo provincialium ordinum momento

---

1 Eichhorn, ibid. et not. g, h et i.

2 Idem, ibid. et § 549.

atque splendore multum hominum opinionibus ea praesertim aetate fuisse detractum, qua, ex recepta de jure publico sententia, insigni unice honore ac reverentia munus auctoritasque colerentur imperantium. Ne tamen in pejorem etiam ordines delaberentur conditionem omninoque celebrari conventus eorum desinerent, illud apparet prae caeteris effecisse, quod in vectigalibus certe exigendis, nullo juris colore sanctionem eorum negligere principes potuerint [1]: ea autem facultas, uti duobus ante saeculis, ita nunc etiam in proprium emolumentum satis utiliter adhibita ab ordinibus fuerit, eorum quae aegre ferrent in re publica saepe impetrantibus mutationem, nonnumquam adeo novorum sibi privilegiorum postulantibus largitionem [2]. Atque in illo jure conservando ac firmiore etiam stabilioreque reddendo ipsas illas leges Imperii adjumentum ordinibus praestitisse constat, quas caeteroquin parum sibi faventes experirentur, illas praecipue, quibus quorumdam Imperialium Statuum rejectum fuerit consilium, quantum uniuscujusque regionis supplendis necessitatibus conferri ab illius civibus oporteret, Imperii Conventus arbitrio definiendum commendantium: decretumque porro, ut munitorum, quibus quisque Status necessario indigeret, locorum militariumque in iis praesidiorum curatione omne ferendi sumtus publicos incolarum officium contineretur [3]. Cujusmodi scilicet provincialium hominum obligatio quum, eorum respectu

---

1 Idem, § 546; coll. MOSER, V. d. Landeshoheit in Steuersachen, p. 648; HÄBERLIN, Handbuch des D. Staatsr. V. II, p. 49, sqq.

2 EICHHORN, ibid. not. k.

3 Pertinet scilicet huc Recessus Imperii anni 1654, memoratus ab EICHHORNIO, § 547.

tributorum, quae coetus Imperialis sancivisset, ab initio inde saeculi decimi sexti, variis deinceps opportunitatibus fuisset confirmata [1], noluit Imperator LEOPOLDUS I, anno 1670, ratum habere Statuum decretum, quo eamdem ad alia multa negotia, ad universam praesertim rei militaris in singulis regionibus administrationem extendendam pronuntiavissent [2]. Atque sic factum, ut lex illa circa debitam vectigalium collationem ea, quae ad impositas jure communi Statibus referrentur obligationes, unice complecti civibus provincialibus in posterum quoque perrexerit. Verum enim vero, etsi, tum ab ipsius auctoritate Imperii, tum a principum quoque libidine, qualiacumque sua circa rem tributariam jura integra servare civitatum ordinibus contigerit, multum tamen abest, ut ea exinde commoda in universos cives

---

1 Primarium horum imperialium tributorum argumentum in bellicis contra Turcas expeditionibus versabatur, unde propria quoque fluxit Turcici tributi (Turkensteuer) appellatio. Rationem vero aliquoties in hocce imponendo usurpatam ad cujuscunque nominis communia vectigalia deinceps adhibitam fuisse constat ideo, quod modus inde nasci opportunior videbatur inter uniuscujusque Status incolas impositae huic pensionis distribuendae. In Recessibus autem annorum 1507, 1510, 1530, 1532, civium hanc obligationem memoratam jam reperias, addita clausulâ, ne in horum collatione vectigalium aliqua cujuscunque immunitas admitteretur dataque veniâ principibus, ut vi cogendi in eos omnes uterentur, qui debitam isti officio praestare obedientiam recusassent. Vid. EICHHORN, § 537. Condita quoque fuit, anno 1555, rei militari per universum Imperium rite procurandae Ordinatio (Reichsexecutionsordnung) qua singularum provinciarum hac in re officiis accurate definitis, subjunctum pariter invenias praeceptum, nascituros istinc sumtus compensari ab ipsis civibus debere. Idem, § 529. Cf. GERSTLACHER, Handbuch der Deutschen Reichsgesetze, V. VII, p. 967 sqq. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 332, not. f; HAUBENRRECHER, op. cit. § 85.

2 GERSTLACHER, op. cit. V. VII, p. 989, sqq. EICHHORN, § 547.

redundasse existimanda sint, quae ex rite usurpata istiusmodi facultate sponte profluere facile quis sibi in animum induxerit. Etenim quotquot inferiorum ordinum cives in rebus publicis Germanicis hac aetate habebantur, vehementer gravare nunc cum maxime coepit liberationis illud privilegium, quod, jam longo abhinc tempore, a vectigalibus pendendis equitatus sibi ordo adseruisset, petitae donationi adstipulari hac tantum lege solitus, ut exactum eam iri a subditis sibi hominibus permitterent [1]. Namque, ubi, mutatis temporibus, alia et publicorum institutorum ratio et administrandae civitatis consuetudo invaluisset: antiquae illae precariae, quas non nisi urgente calamitate decerni a principibus moris olim fuisset, postea, exauctis rerum publicarum necessitatibus ac potestate moderatorum, vectigalium, in certum quidem tempus indictorum at numquam non, eo elapso, repetitorum, paullatim et speciem et naturam induissent [2]: fieri inde sane debuit, ut, quo gravius tributorum impositione contineretur onus, eo plus incommodi illi omnes, quibus ferendum illud incumberet, ex reliquorum ab eo perciperent immunitate. Quod quidem privilegium sic feliciter sibi retinuisse equites eorumque exemplo etiam pontificios accipimus, ut, quoties, illi ritui convenienter, qui in agendo cum ordinibus usurpari hoc tempore soleret, velut pacto cum singulis instituto, quamnam propositi tributi partem unusquisque laturus esset definiretur, majores illi ordines constanter in suam gratiam, aut omnino liberationem, aut exiguum

---

1 EICHHORN, § 547, coll. § 426 et § 306; HÜLLMANN, Gesch. d. Urspr. d. Stände, p. 652.

2 EICHHORN, ibid. et not. f et g.

tantum conferendi modum stipulati fuerint [1]: equites autem onera militaria, quibus soli obstricti haberentur, diserte imputanda sibi hocce consilio curaverint [2]. Qua profecto in re, licet adversantes ferme sibi reliquos ordines habuerint [3], principum satis facilem experti sunt voluntatem, ideo maxime, quod his metus oriri debuerit, ne, dum plura consequi studerent, graviorem etiam pati jacturam, nobilium alienato a se favore, cogerentur esselque iisdem persuasum, exinde satis in suam rem profluere emolumenti, quod obnoxios quidem equitatui homines plena sibi suppeteret onerandi vectigalibus libertas [4]. Neque vel ipsi juris doctores ab adjuvandis hisce nobilium studiis alienos sese praestiterunt, quae communibus adeo circa jura civium niti institutis ac, paucis tantum extra ordinem indicendis tributis, negligi oportere praedicabant [5]. Ast eadem immunitas, sicuti priscis temporibus tolerabilior hoc etiam nomine exstitisset, quod in militiae, quae prae caeteris equitum ordini incumberet, venire compensationem censeretur, ita maximam parere debuit invidiam, postquam, instituto versus saeculi decimi septimi finem perpetuo copiarum equestrium apparatu, vetere hoc

---

1 Eichhorn, ibid. coll. Hausmann, Beiträge z. Kenntniss der Kursachs. Landesversamml. p. 47, sq. Strauben, de Collectarum et aerariorum provincialium origine, § 14; Spittler, Gesch. d. Fürstenthums Hannover, V. II, p. 54, sqq.

2 Eichhorn, ibid. not. i; Hausmann, l. l. p. 41.

3 Eichhorn, § 547, ibique not. l et m; Moser, Von der Landeshoheit in Steuersachen, p. 829; Spittler, Gesch. des Fürstenthums Hannover, V. II, p. 61.

4 Eichhorn, ibid.

5 Eichhorn, ibid. ac not. n, o et p; Moser, l. l. ibid. et p. 81.

nobilitatis officio indigere principes desiissent[1], factum vero eadem de causa fuisset, ut nova militum multitudine alenda instruendaque vectigalium insigniter amplificaretur modus. Quamquam, cum normam ipsam, cui superstructa ad eum usque diem tributorum exactio fuisset, ad novos istos explendos sumtus haud amplius sufficere appareret, aliam praeterea nunc cum maxime usitatam vectigalium speciem, qua scilicet res ad victum necessariae utilesve potissimum afficiebantur, subterfugere haud ita facile majores ordines potuerunt[2]. At minime tamen sic impeditum quin concessum istud quibusdam civibus liberationis a communi onere privilegium importunius in dies ac veris rei publicae commodis perniciosius evaderet. Licet enim ad rem militarem sustentandam non alia civibus injuncta essent officia praeter illa, quae ex ipsius constitutione Imperii sponte ducere originem viderentur, bella continuo prope hacce aetate per Germaniam agitata plerisque principibus novorum semper petendorum subsidiorum attulerunt necessitatem, quae qui impetrarent, sic multas cum ordinibus paciscendi in promtu iis fuisse novimus rationes, ut haud sane multum impedimenti ordinum illa circa rem tributariam objicere iis potuerit auctoritas, quo minus studiis suis militaribus, quantum cuique ferret animus, gratificari conarentur[3]. Qui autem sic locus in rerum publicarum administratione ordinibus provincialibus concederetur, utut ab insigni, qua iidem usi olim fuissent, auctoritate quam longissime

---

1 Eichhorn, § 595, coll. § 551.

2 Idem, V. IV, § 595, coll. V. III, § 426.

3 Idem, § 595.

remotus, hunc tamen ipsum rite sibi vindicare quam arduum ac difficile iis esset negotium, procedente tempore, omnium manifestissime apparuit. Nam, et principes vehemens invaserat cupido suo unice arbitrio universam rem publicam gubernandi iisque ut magis etiam hocce studium aleretur, LUDOVICI XIV, Franciae regis, cuncta suae lubidini subjicientis, insigniter valuerat exemplum, et ipsa rerum gestarum eventuumque series ac progressio, natura autem ac conditio institutorum politicorum illum progignere imprimis debuerant effectum, ut eorum, qui praeessent civitatibus, haud leviter imperium firmaretur, civium vero eorumque omnium, qui agere pro civibus putarentur, in dies vilesceret auctoritas [1]. Quo enim magis a pristina ratione universum Imperium Germanicum descivisset in eamque paullatim delapsa fuisset conditionem, ut junctarum arcto semet invicem foedere civitatum, summa caeteroquin utentium libertate multitudine unice contineretur, eo firmiori vinculo coaptari inter sese ac magis magisque in unum veluti corpus redigi varias, quibus singulae illae res publicae compositae essent, partes, necesse omnino habendum [2]. Ex illa vero mutatione, fieri non

---

1 EICHHORN, § 596.

2 Idem, § 596, coll. § 595, init. Operae pretium sane est considerare, quemadmodum, a medio jam saeculo decimo sexto, principum jura Germanicorum, in Imperatoriae maxime auctoritatis detrimentum, exaucta amplificataque fuerint iisque pacis Westphaliensis decretis novum deinceps firmamentum accesserit. Quorum enim jurium principibus in suo cuique territorio competentium universitatem *territorialis Superioritatis* (Landesfürstliche Obrigkeit) jam tum celebrari appellatione invaluerat, ad eamdemque normam, iis dominis. qui principum minime uterentur dignitate *jus territorii* (Landes- sive hohe Obrigkeit) coeperat attribui. Atque istis quidem nominibus, de eorum, qui illa

potuit, quin antiquarum institutionum nonnullis, earum, quas insigni favore multi nunc etiam prosequerentur, mox interitus immineret: quarum retinendarum voluntas ubi hic, illic haud dubio se indicio prodidisset, non ferme erat ut illius coercitione potius quid a principibus

---

usurpabant, sententia, multo plus significatum fuisse, quam certorum, sive regalium, sive feudalium jurium exprimeretur conjunctione, non sane est quod dubitemus. Huc enim necessario tum ipsa illa, quae paullatim per saeculorum decursum principum auctoritas acceperat, incrementa valuerunt, tum leges, Imperii nomine, his temporibus, conditae ejusmodi fuerunt, quibus firmandae extollendaeque principum potestati egregie prospiceretur quarumque vel verba ipsa, quae ad illam designandam adhibere solerent, quantum his principum juribus adscribi vellent momenti et amplitudinis, haud ambiguo testimonio declararent. Vid. EICHHORN, V. IV, § 477, not. h. Quum autem de territoriali auctoritate jam olim ea recepta definitio fuisset, ut in jurisdictione caput ejus atque fundamentum ponendum existimarent, quotquot viri docti nunc etiam eodem interpretandi genere utebantur, dictam sic latissimo sensu facultatem accipiebant, ut ipsam adeo juris constitutionem, id est legum ferendarum potestatem, eâ contineri intelligerent. Huc accessit quod, quum multi ad *imperii* quamdam speciem imperfecti, ab Imperatoria derivati majestate eique subjecti, eorumdem possessionem jurium referri debere pronuntiavissent, salvus igitur eâ explicatione supremus locus mansisset Imperatori: hujus attenuandae auctoritatis eum in modum studiosi, hoc tempore, juris periti viri exstiterunt, ut neque summum universae civitatis imperium, nisi conjunctim cum Statibus ei competere praedicarent. Ex quo placito necessario sequebatur ut, quorum jurium exercitionem tantum, interposito Statuum adsensu, peragi in conventibus universalibus liceret, eadem, ubi ad singula adhiberentur territoria, principum in iis auctoritati unice subjecta haberi inciperent. Quae sententia, ubi a pluribus deinceps ex industria celebrata fuisset, magnam apud Status Germanicos vim habuisse videtur, quo, condendi foederis Westphaliensis opportunitate, eorum potissimum jurium amplificationem sibi expeterent, quibus gerendae sibi in totius imperii gubernatione partes accurate definirentur. Atque illud consilium sic iis prospere cessisse novimus, ut,

haberetur aliudve ipsi sequerentur consilium quam, ut per vim quidquid suis obsisteret conaminibus reprimere studerent [1]. Cujus quidem rei exemplum urbes illae afferre possunt, quibus paucis, medio adhuc saeculo decimo septimo, contigisset, ut, jurium suorum respectu, medium velut locum imperiales inter ac territoriales, quae dicebantur, urbes occuparent: quas enim constat, jam proximo post Westphaliensem pacem tempore, armis domitas ac principi quasque suo plane subjectas redditas fuisse [2]. Ordinum vero constitutio ipsa tale fatum minime est experta, sed perrexit, servato saeculi decimi quinti ritu ac consuetudine, tum quoque, ubi neque ad antiquam amplius normam singularum hominum classium jura et officia exigerentur [3] et insignem adeo mutationem publica civitatum ratio universa subiisset. At pristina efficacitate spoliatum se maxima parte ordinum conventus viderat nec, si vel totam retinuisset, novae, quae invaluerat, rerum omnium conditioni adhibere eam facile potuisset. Ac praeterea deerant iis plane, quibus solis, nisi probabilem auctoritatem at egregium certe decus, his etiam temporibus,

praeter solemnem omnium, quibus uterentur, jurium privilegiorumque nec non ipsius *territorialis superioritatis* confirmationem, indultum iis fuerit, ne ulla ad imperium pertinentia negotia, absque deliberatione cum Statibus institutâ eorumque impetrato consensu, in posterum peragerentur: tum alia multa in gratiam eorum sancita, quorum praecipuum merito dicas facultatem, salvis Imperatoris Imperiique juribus ac pace publica, propriae salutis ergo, foederum etiam cum exteris ineundorum. Ab hoc igitur inde tempore, principum ad summum evecta fastigium potentiâ, vetus illa mirifice imminuta fuit Imperatorum Germanicorum auctoritas. Vid. EICHHORN, V. IV, §§ 525 et 526.

1 EICHHORN, § 596.

2 Idem, ibid. coll. § 544.

3 Idem, ibid. coll. §§ 544, 545, 547.

assequi iis contigisset, arctissima videlicet variarum classium consociatio ad universarum commoda promovenda atque illud rei publicae studium, quo hujusce tantummodo saluti, propriis posthabitis utilitatibus, singuli ordines operam summa virium intentione navari a sese debere existimarent. Quam praeclaram sentiendi agendique rationem quo minus adsecuturi essent, prorsus impediebat perversa superiorum ordinum cupido privilegia illa, quae ipsis cum damno reliquorum suppeterent, incolumia conservandi. Hisce igitur de causis factum potissimum videtur ut jam, ad finem saeculo decimo septimo vergente, in multis regionibus, certe in Brandenburgiâ [1], Bavariâ [2], Austriâ [3], aliis, tam pa-

---

1 Desierunt in Marcâ Brandenburgensi, ab anno inde 1653, ad antiquum ritum servatoque vetere jurium modo, ordinum conventus celebrari. Quos selectorum tum excepit sociorum collegium, illius publicae pecuniae partis, quae ordinum curae subjecta olim fuisset praecipue fungens administratione. Habiti tamen deinceps etiam in singulis circulis ordinum congressus fuerunt, quorum auctoritate publica onera distribui reditusque percipi solebant, quibuscum adeo nonnumquam de gravioribus negotiis deliberatio instituebatur. Vid. EICHHORN l. l.

2 Bavarici Ordines ad medium usque saeculum decimum septimum tanta insignes fuerant jurium diserte sibi concessorum copia et amplitudine inque universa rei publicae administratione tam eximias obierant partes, ut, quos cum illis comparare liceat, vix alios in Germania reperias. At per bellum tricennale saepius accidit, ut subsidia, tum ordinaria, tum extraordinaria exigerentur, solis ex ordinum corpore selectis consensum suum interponentibus. Mox vero, sub Duce Ferdinando Maria, postremus ordinum habitus conventus fuit, qui cum selectis sociis muneris sui exercitionem in novennium demandassent, hos concessa sibi auctoritate eum in modum abusos fuisse constat, ut ordinum jura perpetuo deinceps ab iis occuparentur. Vid. RUDHART, Geschichte der Landstände in Bayern, V. II, p. 232—276 et p. 297; EICHHORN, § 580 et § 596.

3 EICHHORN, § 579, coll. § 543, not. k. et § 596.

rum honorifica de juribus ordinum provincialium sententia invaluisset, ut, si impertiendorum exigendorumque vectigalium excipias officium, haud ullis illi partibus in rei publicae administratione fungerentur. Quamquam provincias quoque fuisse novimus, quibus tantâ uti felicitate contigerit, ut antiquorum genuinorumque jurium satis integra ipsarum ordinibus permanserit exercitio, utilem iis hac in re opem ipsis tribunalibus Imperii praestantibus. Quod, uti de aliis regionibus, sic imprimis valet de Brunsvicensibus principatibus, de Meclemburgià, Hassià, atque Wurtembergiâ [1].

Ex iis, quae de antiquorum ordinum provincialium in Germania, variis temporibus, conditione breviter hucusque disputavimus, satis manifesto apparere speramus, Germanicos principes infinitam in subditos sibi cives numquam habuisse potestatem, sed eorum arbitrium eximie fere temperatum iis juribus fuisse, quae, vario certe modo graduque, suppetere variis hominum classibus ducerentur. Quae ubi dicimus singularum classium jura, hoc uno verbo jam illud rite nobis videmur exprimere, quo, tamquam fundamento suo, ordinum illa unice superstructa fuerit constitutio. Atque ita jam sponte ad eam attingendam quaestionem delapsi sumus, quae, hac nostra aetate, a tot viris doctis, in Germania praesertim, tanto studio agitari soleat, de discrimine videlicet ordinum provincialium instituti et constitutionis, quam vulgo dicunt, repraesentativae [2]. Quod sane

[1] Eichhorn, § 596. Cf. de Meclemburgià, Moser, Von der Reichsstände Landen, p. 1253, sqq.

[2] Nobilissima haecce quaestio juris publici in Germania scriptores in duas quasi familias divisisse videtur, quarum altera rationem anti-

discrimen magnum esse debere inque multis eorum, quae ad jus publicum referantur, vim suam haud leviter exserere, vel ita perspicuum fieri existimamus, si, unde utraque haecce ratio repetita sit, principia ac velut fontes admodum diversos diligenter quis consideraverit. Nam repraesentativam constitutionem sicuti illis maxime inniti placitis videmus, quae de summi imperii finibus atque natura, genuinisque civium juribus

---

quam unice laudandam existimat, repraesentativum institutum ei anteponit altera. Sunt etiam, qui nullum proprie discrimen admittendum inter haec duo praedicent. Scripta hanc ad rem pertinentia recensentur tum alibi tum in Allemannia, V. VII (Munch. 1816) p. 212—298. Cff. FEUERBACH, Ueber Teutsche Freiheit u. Vertretung Deutscher Völker durch Landstände; KRUG, Das Representativsystem, oder Ursprung und Geist der stellvertretenden Verfassungen, Leipz. 1816; HEGEWISCH, Einige nothwendige Gründe für Ständische Verfassung, Leipz. 1816; DABELOW, Ueber Souverainität, Staatsverfassung u. Repräsentativform, 1816; F. L. VON HORNTHAL, Ueber Souverainetät, Staatsverfassung u. Repräsentativform, zur Beleuchtung d. Schrift des Hrn DABELOW, Bamb. 1816; S. BRENDEL, Die Geschichte, das Wesen u. der Werth der National-Repräsentation, Abth. I u. II; C. F. SCHLOSSER, Ständische Verfassung, ihr Begriff, ihre Bedingung, Fcf. 1817; GRUNER, in Rheinbund, N°. 64, p. 14; BECKEDORF, in AD. MULLERI Staatsanzeigen, 1817, V. II. p. 123, sqq. GRÄVELL, der Regent, V. I, p. 476, sqq. 1819; K. S. ZACHARIAE, Vierzig Bücher vom Staate, Stuttg. et Tüb. 1820, V. II, p. 244—246; R. VON MOHL, Diss. Inaug. sist. discrimen Ordd. Prov. et Constitut. Repraesentativae, Tub. 1821; F. BODIN, Etudes historiques et politiques sur les assemblées représentatives, Paris, 1823; G. F. KÖNIG, Das Königthum u. die Repräsentation, Leipz. 1828; ALEX. MULLER, Das Deutsche Repräsentativsystem u. s. w. Ilmenau, 1826; Idem, Ansicht eines Geschäftmannes wider das Repräsentativsystem, 1828; SCHLEGEL, in Concordia, N°. 6; SCHMALZ, Deutsches Staatsrecht, p. IV, sqq. VOLGRAFF, Ueber d. Tauschungen des Repräsentativsystems, 1832; REHBERG, Die Erwartungen d. Teutschen, 1834, p. 17, sqq. JARKE, die Ständische Verfassung u. die Deutschen Constitutionen, Leips. 1834; KLÜBER, O. R. d. T. B. §§ 279 et 280.

et officiis, tum de rite distribuenda potestate, ratione denique rei publicae gubernandae utilissima, quamquam neque olim suis defensoribus caruerunt, studiis tamen potissimum commendata fuerint recentiorum: ita provincialium ordinum auctoritatem, ab earum, quae Germanicis gentibus propriae fuisse censeantur, notionum efficacia, neque minus ab indole et consilio feudalium institutorum unice fluxisse, certum est. Quibus enim convenienter placitis atque institutionibus, quum unicuique earum classium, in quas distribui civium universitatem contigisset, certa sua jura ac privilegia suppeditarent, incumbens horum servandorum principibus obligatio eum mox necessario habuit effectum, ut e negotiis rem publicam spectantibus nonnulla, nisi libera illorum impetrata consensione, his non amplius peragere liceret. Itaque, propriorum jurium gratia ad deliberationem singuli ordines admissi idem hoc tractandae rei publicae propositum constantissime retinuerunt, summâ virium intentione semper illud potissimum agentes, ut sive incolumia sua sibi privilegia servarentur sive etiam confirmarentur exaugerenturque: cujus rei dum compotibus fieri sibi contingeret, quid caeterorum e re esset ordinum quidque civitati expediret universae, aut prorsus negligere, aut certe multo minus curandum sibi arbitrari solebant. Quamquam, ubi jurium suorum rite defendendorum studio ad qualiscumque tandem institutionem societatis perducti ordines fuissent, ex illa autem, eorum jurium, quae communiter ab iis possiderentur, numerus amplitudoque magnopere deinceps increvissent: fieri sane haud potuit, quin satis firma inter eos necessitudo exoriretur, quandoquidem saepe, junctis

viribus, in earum rerum procurationem incumbere eos oportebat, quae arctissimo vinculo cum universorum conjunctae essent felicitate. Unde factum est, ut, quoties ejusmodi iis tractandae quaestiones fuerunt, in quibus non privata res hujus illiusve ordinum, sed cunctorum pariter verti commodum videretur, ad quarum genus tum alias referimus, tum illas, quae ad res quoque tempore cum exteris nationibus gerendas pertinerent, bene fere illi de patria quique sua meruisse dicendi sint multumque ex hoc instituto in totius rei publicae salutem utilitatis redundaverit. At haec, si de rei valent effectibus, principium ejus veramque naturam minime respiciunt, cum sane constet, antiquos illos ordines sic, ab origine inde, distincta singulos separataque a se invicem effecisse velut corpora, ut alio atque suo nomine in conventus publicos venire censeri nullo modo potuerint, nedum universi populi causam aliquam agendam sibi suscipere [1]. Quo minus enim de repraesentatione, qualis ea certe hodie effingitur, cogitemus, vel eo prohibemur, quod ne ipsi quidem ordines selectis a sese mandatariis partes suas in coetibus publicis peragendas soliti fuerint committere, verum omnibus quotquot ordinum uterentur societate ipso jure contigerit ut obeundarum deliberationum pendentiumque inde jurium exercendorum participes haberentur, dummodo ea iis omnia adessent, quibus deficientibus, si de comitiorum ageretur facultate, vel illi ordini, cujus caeterum implerent conditiones, minime

---

[1] Eichhorn, V. III, § 424, not. a, p. 225, sq. § 425, p. 235; Rehberg, Vom Deutschen Adel, Gött. 1803, p. 43, sqq. Maurenbrecher, Grundsätze des heut. Deutschen Staatsr. § 152, not. k.

adscripti ducerentur [1]. Cujus tamen rei una exceptio notanda est in ordine urbano, quandoquidem urbes scimus, neque omnes ubique coetuum honoris compotes exstitisse, quo in multis scilicet regionibus illae tantum potitae sint, quibus eum, aliis alio tempore, felix fortuna concessisset: nec, nisi per mandatarios, quos in unaquaque a magistratibus moris fuerit nominari, traditi sibi juris exercitionem obiisse. Atque idem quoque perspicuum fit, ubi deliberandi consuetudinem attendimus, quam circa negotiorum sibi subjectorum pertractationem secuti ferme sunt ordines illi provinciales. Namque constat non sane eam receptam apud illos rationem fuisse, ut, ab omnibus

[1] In singulis ordinibus fundamentum hujusce juris liberam agrorum possessionem habitam fuisse eo minus est quod miremur, quo magis constat, omnia prope illa jura, quorum nomine ad auctoritatem quandam in re publica pervenerint, originem ex agrorum dominio repetiisse. Sic ad Praelatorum ordinem ea pertinuisse clericorum collegia novimus, quibus immobilium libera suppeteret possessio, veluti monasteria, abbatias, ipsas etiam academias: in pontificiis autem civitatibus ante omnes capitulum episcopalem. Equestris vero ordinis ea fuit conditio, ut societatis in eo participes omnes equestrium agrorum possessores nobiles haberentur, sic tamen ut saepe non omnis nobilitas sed vetus tantum admitteretur, ad cujus scilicet definitionem alius aliis in regionibus majorum nobilium numerus requirebatur. Neque equestrium praediorum sic inter varios populos sibi ratio constabat, ut anni, per quos continuo a nobilibus possessa ea fuisse oporteret, eadem ubique praescripti essent multudine. Vetabat autem eadem de agrorum possessione lex, quo minus ex urbibus publici conventus juribus aliae uterentur atque eae, quae proprio nomine urbes *landsassiae* vocarentur. Denique, haud aliter atque in caeteris ordinibus, in rusticis postulatum agrorum dominium invenimus. Cf. MONTAG, Geschichte der Deutsche Staatsbürgerliche Freiheit, V. I, P. I, p. 10, sq. HÜLLMANN, Städtewesen des Mittelalters, V. I, p. 24, sqq. MAURENBRECHER, Grunds. d. heut. Deut. Staatsr. § 130, not. d et § 152.

omnium ordinum sociis conjunctim instituta disceptatione, quam comprobari plurimorum ex iis adsensu appareret, dehinc, tamquam totius conventus, rata haberetur sententia: verum universos ordines, in commune prolatis, quae separatim singuli deliberavissent, de his in unum placitum, quantum fieri posset, redigendis consultare deinceps insuevisse, ita tamen ut ne in ista quidem deliberatione perpetuo res suffragiorum multitudine absolveretur, verum saepe, quum in sua quisque ordo persistendum sibi duceret opinione, alia inde ab aliis placita reciperentur [1]. Quem profecto ritum iis principiis, quibus antiquori aetate omnis rerum publicarum innixa fuerit conditio quaeque nec postea vi sua et efficacitate in populorum instituta caruerint, unice convenire, omnibus planum esse existimamus. Sed cum eodem etiam cohaeret, quod, propter insigne, quo singuli ordines valuerunt, studium illius in publicis oneribus suscipiendis integrae sibi servandae conditionis, quam olim acceptam huc usque sibi vindicavissent, circa vectigalium potissimum adprobationem, diversis admodum inter se legibus et obligationibus submittere illi semet debuerunt [2]. Verum, ut eo, unde digressi sumus, redeamus, quoties in Germanicarum historia civitatum decreta legimus ideo publica auctoritate fuisse recepta, quod major ordinum numerus in ea consensisset, ab ipsius proficisci voluntate populi censeri sic tantum eadem potuerunt, quod ex iis classibus, quarum certam populi partem unaquaeque com-

---

[1] EICHHORN, V. III, § 426; coll. RUDHART, Gesch. der Landstände in Bayern, V. II, p. 100, sq.

[2] EICHHORN, ibid, p. 239, 240 et not. b—e, V. IV, §§ 547 et 595.

prehenderet, plures iis fuissent adstipulatae [1]. Quodcumque igitur sancitum ab ordinibus fuisset, populi fieri nomine dici hac tantum de causa licuit, quod aut civium classes praeter eas, quae suffragium tulissent, haberentur nullae, aut si quae essent, ordinum juribus destitutae, illis sic humilis in re publica conditio suppeteret, ut, vel omnino vix posse civibus adnumerari, vel certe, jurium commodorumque suorum respectu, a superiorum, quibus obnoxiae essent, classium, nobilium praesertim, juribus commodisque unice existimarentur pendere [2].

Verum de antiquis illis ordinibus haec sufficiant. Tempus est ut ad ea breviter exponenda transeamus, quae in eorum constitutione, distributione concessisque iis juribus et honoribus, recentissimae aetatis sic immutarunt placita, eventus, vicissitudines, ut, apud plerosque certe populos, novum plane inde exortum sit institutorum genus.

Quod salvum incolumeque per tot saecula steterat Imperium Germanicum multorumque saepe hostium vim repulerat felicissime, inter civitates autem Europaeas locum sibi vindicaverat praecipuum: illud truncatum brevi tempore, dilaceratum ac prorsus tandem dissolutum fuit, postquam Francorum gens, bellicis

---

[1] EICHHORN, § 425, coll. § 424, not. a; MAURENBRECHER, l. l. § 50.

[2] MAURENBRECHER, l. l. § 152, de Ordinum provincialium instituto: »Von einer Vertretung" inquit »im heutigen Sinn war dabei nie die »Rede. Jedes Standesglied stand nur für seine Person auf und nur »aus dieser heraus für die Landesinteressen. Es war aber dennoch »ein Auftreten des ganzen Landes, dem Landesherrn gegenüber, weil »die Stände, welche in corpore auftraten, das gesammte Leben in »allen seinen Beziehungen umschlossen und darstellten." Cf. JARKE, Die Ständische Verfassung und die Deutschen Constitutionen, p. 43.

tum successibus clarissima, eo continuis victoriis pervenisset, ut de singulis, quibus Germania constabat, nationibus pro arbitrio tantum non disponendi libertate uteretur. Qua in re nescio sane an plus etiam quam armorum, utut admirabilis, felicitas, ad vincendos Germanos dolosae Francorum, NAPOLEONTIS praesertim, ducis ipsorum, mox imperatoris, valuerint machinationes, illud tantum agentium, ut jurgia inter varios populos discordiasque excitando excitatasque diligenter alendo, separatim cum singulis paciscendo, blandiendo vicissim ac minitando, in suas denique partes callidis promissionibus trahendo, a communis rei defensione animos eorum averterent deque propria tuenda salute unice cogerent esse sollicitos [1]. Quum enim ad Francorum res tum novas agitantium refrenandam protervitatem, bellum junctis viribus, Austriae ac Borussiae principes, anno jam 1792, suscepissent [2] inque hujus consilii societatem mox Imperium Germanicum venisset [3], voti illi sui tam parum compotes facti sunt, ut, per triennium re infeliciter gesta, quibuscum antea vel pacisci nefas duxisset, cum his rex Borussiae pacem suo marte inierit ejusmodi, qua tum aliis damnosis conditionibus acquiesceret, tum agros suos transrhenanos Francis occupandos ad pacem usque futuram Imperii permitteret [4]. Mox gravius fatum obtigit Austriacis, pacem redimere Belgii atque Lombardiae cessione

---

[1] KLÜBER, Staatsrecht des Rheinbundes, § 58, not. b.

[2] G. F. DE MARTENS, Recueil des principaux Traités, T. V, p. 35.

[3] Die scilicet 22 m. Mart. a. 1793. V. M. J. SCHMIDT, Geschichte der Teutschen, continuat. ab J. MILBILLER, V. XXI, (1807) p. 22, sqq.

[4] Fuit haec pax Basiliensis, d. 5. Apr. a. 1795. MARTENS, op. l. T. VI, p. 495.

coactis [1], postquam Francorum pollicitationibus permoti multi jam Status ab imperiali exercitu milites suos revocavissent [2], ad Stiriam vero usque hostium copiae delatae fuissent. Eodem fere tempore de pace ineunda convocati Imperiales legati (Reichsdeputation) [3] alienandis transrhenanis provinciis adstipulati sunt, eam tamen huic placito legem adjicientes, ut spoliatis principibus, aliae cis Rhenum terrae, damni resarcitionis nomine, concederentur [4]. Quae deliberatio, novis subito exortis inimicitiis per biennium interrupta [5], Lunevilliensis deinde foederis decreto rata habita fuit edictumque ut reparandi onus universum Germanico Imperio incumberet [6]. Tum ad faciendarum donationum modum conditionesque, auspicantibus Russia atque Francia, describendas, alii mandatarii constituti, qui grave illud arduumque negotium, ad nutum ferme NAPOLEONTIS, paucos

[1] Constituta haec fuerunt praeviis de pace deliberationibus Leobae habitis, d. 18 Apr. 1797. Ad has occulti mox accesserunt tractatus Campoformiensis articuli, quibus transrhenanarum terrarum majori parte cessurum sese princeps Austriae spopondit (17 Oct. 1797.) V. MARTENS, op. l. T. VII, p. 215; Histoire Abrégée des Traités par KOCH et SCHOELL, V. VI, p. 54, sqq.

[2] Quod nempe, jam anno 1795, fecerant Hanoverani, quorum exemplum mox secuta fuerat Saxonia Electoralis. Secundum vero Basiliensis pacis placita separatim cum Francis pactum Hassia Casselensis inierat, d. 28 Aug. 1795. V. MARTENS, op. l. T. VI, p. 548.

[3] HEINRICH, Reichsgeschichte, V. VIII, p. 989, sq. EICHHORN, V. IV, § 604.

[4] V. Protocoll der Reichsfriedens-Deputation zu Rastadt, edit. a MÜNCH VON BELLINGHAUSEN, Rastadt, 1798, sq. Geheime Geschichte der Rastadter Friedensunterhandlungen, Germanien, 1799.

[5] EICHHORN, l. l. § 605.

[6] D. 9 m. Febr. a. 1801. MARTENS, V. VII, p. 538, sq. Imperiali auctoritate confirmata fuit pax Lunevilliensis, d. 10 Martii. Vid. REUSS, Staatskanzlei von 1801, V. I, p. 210, sq. V. II, p. 5, sq.

intra mentes perfecerunt, quorum deinde rationem congressi Status atque ipse Imperator sanctione sua comprobaverunt[1]. Atque eo eventu dici vix potest quam nova rerum publicarum facies exstiterit quantamque jus publicum Germanicum passum fuerit mutationem. Quum enim non esset ut aliunde materies donandi quaereretur, decretum est ut, si Moguntiacum electorem excipias, cui cum titulo Archicancellarii regiones quaedam forent attribuendae [2], singuli ecclesiastici Status agrorum suorum possessione destituerentur urbesque imperiales universae, quarum tamen senis pristinam conditionem servare contigit [3], variis principibus addicerentur. Caeterum, prout maxime favere Francorum causae quaeque civitas putaretur, ita eam in hac distributione facienda, sorte usam felicissima fuisse, nihil profecto mirabile habendum: inde vero factum est ut, quum aliis terrarum insignis accessio pararetur, intra

---

[1] Ita prodiit nobilissima Legatorum Imperialium Consultatio (Reichsdeputationshauptschluss) d. 25 Febr. 1803, Statuum adprobatione firmata decreto (Reichsgutachten) d. 24 Mart. rata vero habita ab Imperatore interque leges Imperii relata, d. 23 April. V. Protocoll der ausserordentl. Reichsdeputation zu Regensburg, Regensb. 1803; A. C. CASPARI, Der Deputationsrecess mit historischen, geographischen und statistischen Erläuterungen, Hamb. 1803; MARTENS, Supplément au Recueil, etc. V. III, p. 231 et 243; KOCH et SCHOELL, Hist. abr. des Traités, V. VI, p. 164—483, V. III, p. 5—163; KLÜBER, Uebersicht der diplomat. Verhandlungen des Wiener Congresses, p. 398, sqq. Idem, Oeff. R. d. Teutsch. Bund. § 26 et § 58.

[2] Exemti tamen etiam communi interdictioni Germanico neque non Johannitarum ordini praefecti fuerunt. V. Consult. Legat. Imperial. § 25 et 26.

[3] Scilicet Augsburgae, Nurnbergae, Francofortae, Bremae, Lubecae, Hamburgae. V. Cons. Leg. Imp. § 27.

fines admodum coarctatos ab illo die aliae sese continere debuerint[1]. Tacemus quod et magno duci Tuscorum ducique Modenae certi in Germania tractus,

[1] Quum vero ne bona quidem ecclesiastica urbesque imperiales tot illis perficiendis compensationibus sufficerent, fuerunt etiam, quibus, damni resarciendi nomine, certi tamtummodo reditus pecuniarii constituerentur. Alii monasteriis e *landsassiorum* genere contenti esse debuerunt, quorum respectu nunc *territorialem superioritatem* adipiscebantur. Compensandi autem ac permutandi capita praecipua haec fuerunt: 1) Archicancellario regio adtributa est ex Moguntiaci archiepiscopatus ad dextram Rheni ripam reliquiis tum ex episcopatu Ratisbonensi exque urbibus Ratisbona atque Wetzlaria composita. 2) Bavaria partem accepit Passaviae atque Eichstadiae ac praeterea Wurzburgensem episcopatum tantum non universum, Bambergam, Freisingam atque interjacentes plerasque in Franconia et Suabia terras pontificias et urbes imperiales. 3) Ditata imprimis regio Badensis fuit, acceptis Palatinatu Rhenano, episcopatu Constantiensi, episcopatuum Spirensis, Basiliensis, ac Strasburgensis reliquiis, duobus ambactibus Darmstadiensibus, variisque urbibus imperialibus atque abbatiis. 4) Amplam quoque Wurtembergia accessionem est consecuta, agriis pontificiis urbibusque imperialibus magno ei numero adtributis. 5) Borussicae ditionis facti sunt episcopatus Paderbornensis ac Hildeshemensis, tum Thuringia Moguntiaca, pars Monasterii, complures abbatiae, urbes denique imperiales Mulhausa, Nordhausa atque Goslar. 6) Dux Oldenburgiae, praeter ambactus Vechtensem et Kloppenburgensem, episcopatu etiam donatus fuit Lubecensi ambactuque Hanoverano Wildeshausensi. 7) Osnabrucensis episcopatus Hanoveranae ditioni subjectus fuit. 8) Archiepiscopatuum Moguntiaci, Trevirensis, Coloniensis particulas Hassicae ac Nassovicae ex linea Walramensi stirpes inter sese distribuerunt Darmstadiaque Westphaliensi ducatu potita est. 9) Nec gens Nassovica Arausiensis nec Helvetica res publica largitionibus destitutae fuerunt, quarum illi, pro amissis in Belgio juribus ac dignitatibus, Fuldensis ac Corveyensis episcopatus, urbs Dortmundia atque aliquot abbatiae, huic Churensis traditus fuit episcopatus. — Caeterum notamus Salzburgiae, Badae, Wurtembergiae ac Hassiae Casselensis principes Electorum titulo atque honoribus decoratos hacce opportunitate fuisse. Vid. Cons. Legat. Imper. passim; EICHHORN, V. IV, § 606.

loco ademtorum iis in Italia patrimoniorum, adsignati fuerunt [1]. Denique tum alia cauta bene multa, quae ad moderandas tot illas alienationes necessario pertinerent, tum ut jura publica earum terrarum, quae saeculari, quod ajunt, regimini fuissent subjectae, quatenus illa aut legitimis principem inter et cives conventionibus aut decretis imperialibus niterentur, vigere sub novis quoque pergerent rectoribus, salva tantum his in rebus tum civilibus tum militaribus emendandae administrationis facultate.

Hisce vero omnibus quum, quanta tum Imperii tum praecipuorum Statuum esset infirmitas, NAPOLEONTI quanta suppeteret pro lubito mutandi omnia atque permiscendi licentia, manifestissime apparuisset, paucis post annis alia longe gravior in rebus Germanicis accidit conversio, quam votis atque consiliis jamdudum NAPOLEON praeparaverat, ad quam perficiendam juvandamque varios populos perducere omnibus viribus studuerat. Quandoquidem enim turbatissimo illo Imperii statu nulla amplius spes civitatibus relinquebatur, fore, ut ex vetere, qua cum Imperio, nomine nunc certe magis quam re, conjunctae haberentur necessitudine, aliqua in posterum utilitas ad jura commodaque ipsarum tuenda redundaret: ut vero praepotenti Francorum imperatore socio ac defensore uterentur, quam maxime expedire videbatur universis: facile huic profecto fuit negotium, compluribus inter nationes Germanicas persuadere,

---

[1] Donatus est magnus Tusciae dux Salzburgia ac Berchtoldsgadio partibusque Passaviae atque Eichstadiae; dux vero Modenensis Brisgaviam atque Ortenaviam in Suabia ab Austriae accepit imperatore, cui in gratiam illius donationis Trientensis ac Brixensis cesserunt episcopatus. Cons. Leg. § 1.

cunctis suis erga Imperium obligationibus renuntiarent novamque, se duce atque auspice, societatem instituerent ejusmodi, quae mutuam amicitiam stabiliendam auxiliique mutuam praestationem sanciendam unice respiciens, adversus quorumcunque hostium aggressionem firmissimum illis praesidium suppeditaret [1]. Cui rei obeundae commoda tunc imprimis exorta est opportunitas, postquam, denuo exardescente, anno 1805, cum Austriacis inimicitia, ad hosce debellandos operam suam Francorum armis Bavarenses, Badenses, Wurtembergenses adjunxissent: brevi autem post sic ad incitas redacti Austriaci fuissent, ut, pace ineunda Presburgensi, non tantum agro Venetico cessissent universo, verum etiam de iis, quas intra Germaniam tenerent, provinciis, Tyroliam, Vorarlbergiam, Suabicas regiones, alias amisissent, quae ditissima spolia deinceps inter socios suos distribuenda curaverat NAPOLEON. Atque impetratum eo quoque tempore fuit, ut summum imperium foederatis electoribus in sua cuique civitate haud secus atque in subditos ipsis cives Austriae ac Borussiae principibus competeret [2], regia autem dignitate Bavariae Wurtembergiaeque rectores decorarentur. Sexto vero post mense, sedecim principes Germanici [3]

---

[1] EICHHORN, § 607; Staatsgeschichte Europa's von d. Presb. Friede bis zum Friede von Tilsit, Tüb. 1809, p. 57, sqq. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 23.

[2] MARTENS, Supplément au Recueil, T. IV, p. 212; EICHHORN, § 607; KLÜBER, O. R. d. T. B. § 27; KOCH et SCHOELL, Hist. Abrégée des Traités, T. VII, p. 435, sqq.

[3] Scilicet: rex Bavariae, rex Wurtembergiae, elector-archicancellarius sive princeps primas, elector (magnus-dux) Badensis, dux (magnus-dux) Clivensis Montensis, landgravus (magnus-dux) Hassiae Darmstadiensis, princeps (dux) Nassoviae Usingensis, princeps Nassoviae

Parisiis Rhenanam sic dictam Confoederationem inierunt [1], qua se civesque suos haud amplius teneri legibus imperialibus profitebantur [2] ac, depositis omnibus, quae ex ipsorum cum Imperio necessitudine profluxissent, nominibus novisque in eorum locum adscitis [3], supremam sibimet singulis potestatem vindicabant [4], tum arctam inter se

Weilburgensis, principes Hohenzollernenses, tum Hechingensis, tum Sigmaringensis, principes Salm-Salmensis et Salm Kirburgensis, princeps Itenburgensis-Birnstenensis, dux Arembergensis, princeps Lichtenstenensis, comes (princeps) Leyensis. V. Act. Conf. Rhen. Artt. 1, 4, 5.

[1] Initum pactum Rhenanae Confoederationis fuit Parisiis, d. 12 Jul. 1806, ratum vero habitum a Protectore in villa Sancti Cludii, d. 19 Jul. a sociatis principibus, Munchae, d. 25 Julii. Legitur Actus Confoederationis apud KLÜBER, Staatsr. d. Rheinbundes, WINKOPP, der Rheinische Bund, V. I, p. 10; Eumdem, Die Rheinische Confödérations-Acte, nebst Urkunden und Actenstücken, etc. Fcf. 1808; MARTENS, Supplément au Recueil, T. IV, p. 313, sq. VON MEYER, Corpus juris Confoederationis Germanicae, V. I, p. 1; PÖLITZ, Europäische Verfassungen seit dem Jahre 1789 (Leipz. 1832) V. I, P. I, p. 3 sqq. DUFAU, DUVERGIER et GUADET, Collection des Constitutions, Chartes et Lois fondamentales des peuples de l'Europe et des deux Amériques (Par. 1823) T. II, p. 85, sqq. V. etiam KOCH et SCHOELL, op. l. V. VIII, p. 141, sqq. M. J. SCHMIDT, Gesch. d. Teutschen, V. XXIII; LUCCHESINI, Hist. Entwickel. d. Ursachen u. Wirkungen d. Rheinbundes, Leipz. Vol. I; PÖLITZ, Der Rheinbund historisch u. statistisch dargestellt, 1811; Staatsgeschichte Europa's von d. Presb. Friede bis z. Friede von Tilsit, p. 57, sqq. Das Teutsche Reich u. d. Rhein. Bund, e. Parallele von W. J. BEHR, apud WINKOPP, Rhein. Bund, XVIII, p. 418, XIX, p. 99; Ueber die politische Stellung d. Europ. Staaten kurz vor und gleich nach d. Fr. v. Presb. (1806) p. 86—128; VON GAGERN, Mein Antheil an der Politik, V. I (1823) p. 140, sqq. HEINRICH, Deutsche Reichsgesch. p. 761, sqq. EICHHORN, § 607, sqq.

[2] Act. Conf. Rhen. Artt. 2, 3. V. EICHHORN, § 607 et ibi not. f; KLÜBER, O. R. d. T. B. § 31; MAURENBRECHER, Grunds. d. heut. D. Staatsr. § 88.

[3] Act. Conf. Rhen. Artt. 3, 4 et 5.

[4] Act. Conf. Rh. Artt. 2, 3, 4, 7; EICHHORN, l. l. ibiq. not. g. KLÜBER, l. l. et § 31.

consociationem efformabant, cujus tutorem ac velut protectorem ipsum agnoscentes NAPOLEONTEM [1], ejusmodi in hunc jura conferre sese declarabant, quibus is maximam de communibus rebus disponendi libertatem adipisceretur [2]. Quum enim nulla, nisi conjunctis viribus, suscepturos se bella promitterent [3], quantum vero a quoque socio copiarum instrui ad bellum gerendum oporteret, ipso foederationis pacto diserte constituerent [4], iidem tamen arma, nonnisi ad jussum Protectoris, corripere sibi liciturum decernebant [5], tum in aliis multis, juribus hunc praecipuis exornabant, quorum hoc merito dixeris gravissimum, quod in conventu, rebus sociorum pertractandis Francofurtae habendo [6], agendi deliberandique partes longe primariae ad eum deferebantur [7] ac Principis Primatis (Archicancellarii) praesidis horum comitiorum singulis temporibus futuri, ab illo

---

[1] Act. Conf. Rhen. Art. 12. Cf. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 41.

[2] KLÜBER, op. l. § 41 et 42; MAURENBRECHER, op. l. §§ 88, not. c, 95 et 97.

[3] Act. Conf. Rhen. Art. 35.

[4] Act. Conf. Rhen. Art. 38. Cf. KLÜBER, Staatsr. d. Rheinb. § 131, sqq. MAURENBRECHER, op. l. § 97, not. d.

[5] Act. Conf. Rhen. Art. 36: »l'Armement ne sera effectué qu'en conséquence d'une invitation adressée par S. M. l'Empereur et Roi à chacune des puissances alliées." Cf. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 42, Staatsr. d. Rheinb. § 124, sqq. et § 33, not. b; MAURENBRECHER, op. l. § 97, not. c.

[6] Act. Conf. Rhen. Artt. 6, 9, 10 et 11. Cf. MAURENBRECHER, op. l. § 96; KLÜBER, Staatsr. d. Rheinb. § 93, sqq.

[7] Arg. Art. 11 Act. Conf. Rhen. unde scilicet conficiendum videtur tum convocandae Diaetae jus penes solum Protectorem fuisse, tum, nisi eo auctore, haud ulla in ea pertractari negotia licuisse. V. MAURENBRECHER, § 97. Caeterum conventus iste habitus numquam fuit.

solo nominatio pendebat[1]. Igitur vel exinde luculenter patuit, novum hocce institutum, utut promovendae salutis felicitatisque populorum prae se ferret consilium, reapse nihil magis quam Napoleonteae per Germaniam potestatis confirmationem amplificationemque spectare[2]. Inter praecipua porro Confoederationis Rhenanae capita illud recenseamus necesse est, quo principibus, comitibus, equitibus imperialibus universis, quotquot intra consociatarum terrarum fines agros suos occupantes, *immedietatis*, quam vocant, jurium ad eum usque diem participes fuissent, nec non urbibus, si quae superessent eadem prope utentes conditione: his igitur omnibus ademta antiqua illa jura fuerunt cautumque ut a suprema, quam unusquisque sociorum obtinuisset, potestate, ne illi quidem immunes haberentur[3], sive ita ut nihil iis praeter agrorum dominium oriundorumque inde civilium jurium possessionem relinqueretur[4], sive sic ut certorum insuper in re publica gerenda honorum salva illis exercitio remaneret[5], quam alteram

---

[1] Act. Conf. Rhen. Artt. 10 et 12.

[2] V. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 31 et 33.

[3] Act. Conf. Rhen. Artt. 17—25; EICHHORN, § 60, p. 672; WINKOPP, der Rhein. Bund, V. I, p. 17, sq. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 43.

[4] V. Act. Conf. Rhen. Art. 25; Idem, Staatsr. des Rheinb. § 102. Conferendi tamen sunt: VOLGRAFF, Die Deutsche Standesherrn, 1824, p. 422; KLÜBER, O. R. d. T. B. § 43, not. f; MAURENBRECHER, Grunds. d. heut. Deutsch. Staatsr. § 93 ibique not. c.

[5] De hisce juribus et commodis sic statuitur, Act. Conf. Rhen. Art. 27, 28 et 31: »Les princes et comtes actuellement régnans conserveront chacun, comme proprieté patrimoniale et privée, tous les domaines, sans exception, qu'ils possèdent maintenant, ainsi que tous les droits seigneuriaux et féodaux non essentiellement inhérens à la souveraineté; et notamment le droit de basse et moyenne juridiction en matière civile et criminelle, de juridiction et de police forestière, de chasse, de pêche, de mines,

rationem novum in civitatibus Germanicis civium ordinem *mediatorum* (mediatisirten) peperisse novimus [1]. Atque hanc perfectam consociationem Conventui Imperiali, die 1° m. Aug. ann. 1806, per legatum

d'usines, des dimes et prestations féodales, de patronage et autres semblables revenus provenans des dits domaines et droits. — Leurs domaines et droits seront assimilés, quant à l'impôt, aux domaines et biens des princes de la maison sous la souveraineté de laquelle ils doivent passer en vertu du présent traité; ou, si aucun des princes de ladite maison ne possédait d'immeubles, aux domaines et biens de la classe privilégiée. Ne pourront lesdits domaines et droits être vendus à un souverain étranger à la Confédération, ni autrement aliénés, sans avoir été préalablement offerts au prince sous la souveraineté duquel ils se trouvent placés. (Art. 28.) En matière criminelle les princes et comtes actuellement régnans et leurs héritiers jouiront du droit d'austrègues, c'est-à-dire, d'être jugés par leurs pairs; et dans aucun cas la confiscation de leurs biens ne pourra être prononcée ni avoir lieu: mais les revenus pourront être sequestrés pendant la vie du condamné. (Art. 31.) Il sera libre aux princes et comtes actuellement régnans et à leurs héritiers, de fixer leur résidence partout où ils voudront, pourvu que ce soit dans l'un des Etats membres ou alliés à la Confédération du Rhin, ou dans la possession qu'ils conserveront en souveraineté hors du territoire de ladite Confédération, et de retirer leurs revenus ou leurs capitaux, sans pouvoir être assujettis pour cette cause à aucun droit ou impôt quelconque."

[1] De his mediatis principibus comitibusque ac variis eorum classibus latius dicendi infra nobis locus erit. Citasse nunc sufficiat: KLÜBER, O. R. d. T. B. § 43 et § 320; Staatsr. d. Rheinb. § 99—108; MAURENBRECHER, op. l. §§ 93, 133 et 134; VOLGRAFF, Die Deutschen Standesherrn; HEFFTER, Ueber Staatsrechtliche Anomalien (Beiträge, p. 299—344) VON DRESCH, Von die Rechtverhältn. d. Standesherrn (Abhandl. 1830, p. 119—208, 237—248.) Ipsum vocabulum *mediati* in Actu Conf. Rhen. non reperitur, verum occurrit in Actu Confoed. German. Artt. 6 et 14, in Actu Congressus Viennensis, Artt. 32, 43 et 52, in Actu finali (Schluss-Acte) Art. 63, denique in iis bene multis ordinationibus, quas, inde ab anno 1807, de illorum nobilium juribus atque officiis varii Germaniae principes edixerunt.

suum adnuntiavit NAPOLEON simulque declaravit nullum se amplius locum inter civitates Europaeas Germanico Imperio adtribuere, verum summam tantum agnoscere singulorum, quibus compositum Imperium fuisset, Statuum potestatem [1]. Tum FRANCISCUS II Imperator, quam ob progressus audaciamque NAPOLEONTIS ac multorum Statuum cum Francis amicitiam, jam pridem non nisi nomine tenuerat, in posterum vero ne sic quidem commode servare se posse satis nunc animadvertebat dignitatem imperatoriam, ea solemni se ritu abdicavit confirmansque sibi, quem biennio jam ante adsumserat, Austriaci Imperatoris titulum [2], quotquot cujuscunque generis officiis antiquum erga Imperium obstringerentur, hoc illos vinculo liberare se pronuntiavit [3]. Is igitur finis Romano-Germanici exstitit Imperii. Qui eventus, uti rebus NAPOLEONTIS utilissimus accidit, sic insatiabilem ejus dominandi cupidinem explere minime potuit, verum ille, cum faustissimam expertus adhuc fortunam fuisset, in hoc prospero victoriarum cursu minime sibi subsistendum ratus, plura dehinc ac majora in dies consilia aggressus, quo tristiori Germaniae populi oppressi jacebant imbecillitate, eo acrius et audentius, quae inchoaverat, persecutus est, nova continuo bella moliens, quo, si qui satis adhuc viribus pollerent, ut vel tantillum stu-

---

[1] EICHHORN, § 608; Europaische Annalen, 1806, V. IX, p. 239, 243; Politisch Journal, 1806, Aug. p. 776.

[2] MARTENS, Supplém. au Recueil, T. IV, p. 89.

[3] MARTENS, op. l. ibid. p. 326, sqq. WINKOPP, der Rh. Bund, V. I, p. 51, sqq. Europ. Annal. V. IX, p. 249; Polit. Journ. 1806, p. 859. Edictum de abdicatione cum Statuum mandatariis Ratisbonae congregatis Austriae legatus communicavit, d. 11 Aug. a. 1806.

diis ipsius adversarentur, hac eos omnino destitueret facultate ereptasque illis provincias obnoxiis sibi nationibus impertiendo, aut etiam, prout animus ferret, novas inde, quibus cum regali ducalive titulo agnatos proximosque suos praeficeret, conflando civitates, suae ipse firmandae amplificandaeque potestati efficacissime consuleret. Quam autem afflictis rebus eo tempore ipsi Borussi uterentur, jam ante dissolutum Imperium luce clarius apparuerat, quum, licet bellum instauratum minime fuisset, quarumdam iterum terrarum cessionem iis NAPOLEON extorsisset[1], sic autem insolenter potentem nuper regem tractavisset, ut, postquam agrum Hanoveranum exercitu occupare eum coegisset, quarumnam regionum cives Borussicae futuri ditionis essent, de eo statuere ad pacem usque cum Anglis ineundam distulisset [2]. Atque illa opportunitate, loco acceptae ex praeda Anspachiae, Montanensi ducatu cesserunt Bavari, quem deinde cum Clivensi regione conjunctum principatus induere forma placuit, quo JOACHIMUS MURATUS, sororis maritus NAPOLEONTIS, potiretur[3]. At paullo post, quum bellum contra Francos evitare amplius non potuissent Borussi, tam adversae illi conflictati fortunae sunt, ut, magna agrorum suorum parte ab

---

[1] Conventionibus cum Borussiae rege, d. 15 Dec. 1805 et 15 Feb. 1806. MARTENS, op. l. ibid, p. 237, sqq. Polit. Journ. 1806, p. 225, sqq. 282, 289, 329, 340, 342, 383, 437, 505 et 943; KOCH et SCHOELL, Hist. Abrégée des Traités, T. VIII, p. 14, 31, 62.

[2] EICHHORN, § 608, p. 675, sq. et not. d.

[3] EICHHORN, § 608, p. 676; MARTENS, op. l. ibid, p. 239, 246. De MURATO agri Borussici aliquot particulas (Essenam, Eltenam, Verdam) sibi vindicante videndus est MANSO, Geschichte des Preussischen Staats seit dem Frieden von Hubertsburg (Fcf. 1819) V. II, p. 113.

hostibus occupata, anno 1807, durissimis, pace Tilsitensi, submittere semet conditionibus debuerint [1]. Quam calamitatem, uti rei publicae Borussicae quidquid reliquum erat virium plane fregisse novimus, sic apud septemtrionalis Germaniae longe plurimos Status eo maxime valuisse constat ut, vel flagrante etiamnum bello, vel pactione jam inita, Rhenanae sese confoederationi adsociarent, cui proinde augeri deinceps contigit accessione principum Anhaltinorum, Schwarzburgensium, Waldeckensis, Reuszensium, Lippe-Detmoldensis et Schaumburg-Lippensis [2], imprimis vero Saxonici electoris, qui, assumta regia dignitate, pacis decreto, ducatus Varsoviensis compos factus est [3], denique ducum Vimarensis, Gothensis, Meinungensis et Coburgensis [4]. Regiones autem a Borussico imperio avulsae nec non aliae quaedam, de quibus citra bellum disponendi

---

[1] EICHHORN, § 608, p. 676, 677; MARTENS, op. l. p. 444. Hacce pactione Borussico imperio subjecti tantum manserunt ager Magdeburgensis ad dextram Elubae ripam, Marcae Brandenburgicae, excepto Cotbussensi circulo, quo potita est Saxonia, porro Silesia atque pars Borussiae Orientalis et Occidentalis. Frisia Orientalis terraque Jeverensis Hollandiae, Montanensi vero ducatui Monasterium, comitatus Marcensis, Teclenburgia, Linga, abbatiae denique Essenensis, Eltenensis et Verdensis adjunctae fuerunt.

[2] MARTENS, op. l. ibid. p. 391, 393, 396, 481, 483. Jam antea (25 Sept. 1806) ad Rhenanam confoederationem elector Wurzburgensis accesserat inque hujus rei praemium magni ducis titulo fuerat donatus. V. MARTENS, ibid. p. 345.

[3] EICHHORN, ibid. p. 677; MARTENS, ibid. p. 384.

[4] EICHHORN, ibid; KLÜBER, Staatsr. d. Rheinb. § 33, not. b et § 77, sqq. KOCH et SCHOELL, Hist. des Traités, V. VIII, p. 267, sqq. Pacta, quibus omnes illi, quos diximus, principes confoederationi sese adsociarunt, leguntur quoque apud WINKOPP, der Rhein. Bund, V. I, p. 238, 465, V. II, p. 41, 291, 302, V. III, p. 447, V. V. p. 127, sq.

potestatem sibi NAPOLEON indulserat [1], nunc quoque partim ditandis illius sociis, Montanensi praecipue principi inservierunt, partim in novam,Westphalicam, conjunctae fuerunt civitatem, cui ille fratrem suum HIERONYMUM BUONAPARTIUM, regio nomine atque honore praeficiendum curavit novumque socium Rhenanis principibus adnumerandum [2], quibus pariter, anno sequenti, res publicae Meclemburgicae atque Oldenburgia semet adjunxerunt [3]. Et cum Borussis quidem bellum gerenti NAPOLEONTI egregium sui usum nationes consociatae praestiterant: earumdem ille magna parte operam adhibuit, Hispanicam, anno 1808, suscepturus expeditionem: quarumque tunc non usurparet auxilium, eas in bello, quod contra Austriacos denuo meditabatur, socios sibi adjungere parabat [4]. Quod bellum, utut, tot tantisque negotiis districto NAPOLEONTE, haud sine spe succedendi aliqua inchoatum ab Austriacis fuisset, efficaciter resistendi nullam viam intentatam relinquentibus, praecipue vero ad defectionem Germaniae populos excitare conantibus [5], tamen, prospere nunc etiam rem gerente NAPOLEONTE, paucos intra menses sic iis exstitit damnosum, ut, spoliis ab iis amplissimis relatis, novum inde

---

[1] Principum scilicet extra bellum exactorum Brunsvicensis, Hassici Casselensis et Nassovici Arausiavensis. EICHHORN, ibid. p. 678; KLÜBER, Staatsr. d. Rheinbundes, § 83.

[2] Conditum fuit regnum Westphalicum decreto d. 18 Aug. 1807, ex agris Brunsvicensibus, Hassicis, Borussicis, Saxonicis et Hanoveranis. V. MARTENS, op. l. ibid, p. 491; EICHHORN, ibid.

[3] WINKOPP, d. Rhein. Bund, V. VI, p. 320, V. VIII, p. 157, V. X, p. 150; MARTENS, op. l. T. VIII, p. 10, 11, 14.

[4] EICHHORN, ibid. p. 678. Cf. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 33.

[5] SAALFELD, Geschichte der neuesten Zeit, V. III, P. II, p. 163.

Francicae potestati incrementum accesserit [1], quum et adjacentes agro Bavarico regiones cum hacce copulatae fuerint civitate [2] et in Varsoviensem et Russicam adeo ditionem pars Poloniae Austriacae, in Saxonicam autem Bohemicae terrae aliquot particulae transierint, et denique ad Hadriaticum mare siti tractus Austriaci in Illyricarum, Francico imperio subjectarum provinciarum formam fuerint redacti [3]. Ab eo inde tempore, omnibus devictis adversariis, novis factitandis mutationibus haud minore quam antea studio indulsisse Germaniaeque populos, socios ipse suos lubidinosius etiam tractasse dicendus est NAPOLEON [4], provinciae illi, cui archicancellarius praeesset, Hanavicas Fuldensesque terras cum in modum adsociando ut Francofurtensis inde magnus ducatus exsisteret, imperantem, post principem primatem, habiturus privignum ipsius EUGENIUM BEAUHARNENSEM; pro hac autem donatione commoda quaedam pecuniaria, quibus universi hucusque fructi socii fuerant, ad unam Franciam restringendo [5]; Hanoviae quodcumque reliquum erat, hoc propemodum omne Westphalico a se creato regi concedendo [6];

---

[1] Pace Viennensi, inita d. 14 m. Oct. a. 1809. V. MARTENS, op. l. T. V, p. 210.

[2] Restituta proinde Bavaricae ditioni fuit Tyrolia, quae deficiendo fortiterque pugnando amoris sui fideique erga principes Austriacos eximium documentum ediderat. Novis autem sibi adjunctis partibus eadem civitas amplificata fuit Salzburgiâ, regionibus Berchtoldsgadensi, Innensi ac Hausruckensi dimidia, denique Bayreuthiâ et principatu Ratisbonensi. V. WINKOPP, op. l. V. XVI, p. 157, V. XVII, p. 71.

[3] EICHHORN, ibid, p. 679.

[4] EICHHORN, ibid, p. 679, 680; KLÜBER, O. R. d. T. B. §§ 32 et 33.

[5] WINKOPP, op. l. V. XVI, p. 405, sqq. LANCIZOLLE, Uebersicht, p. 103.

[6] EICHHORN, ibid, p. 680.

denique, ut plenius lubidini suae satisfaceret, regnum non tantum Hollandiae sed magni etiam ducatus Montani ipsiusque civitatis Westphalicae partes, urbes denique Hanseaticas Francicae ditioni subjiciendo eaque opportunitate Oldenburgensem ducatum expungendo, Arembergensem vero ac Salmenses principes summis, quae iis competebant, juribus destituendo [1].

Paucis ita complectendum existimavimus quaenam, tum Imperio Germanico universo, tum singulis, quae eo continebantur, civitatibus, ante hos triginta aut quadraginta annos gravissimae obtigerint mutationes, quo scilicet manifestius appareat, qualem in internam rerum publicarum conditionem, imprimis vero circa provincialium, de quo agimus, Ordinum institutum, efficaciam illae vicissitudines exercuerint. Etenim eo cunctis prope civitatibus redactis, ut, licet variis admodum fidei officiique velut legibus, ab arbitrio tamen maxime penderent NAPOLEONTIS, si quae autem superessent, paullo melioris conditionis etiamnum participes, his ita truncatis

---

[1] Gesta haec omnia fuerunt senatus consulto Parisiensi, d. 13 m. Dec. anni 1810. Parem tum sortem expertae sunt possessiones comitum Looz-Corswaremensis atque Croyensis neque non toparchia Gehmen dynastae Bommelbergensis, quae scilicet junctim cum reliquis, quas diximus, regionibus ac Hanseaticis urbibus Francico agro sic adjectae fuerunt ut nomen dehinc assumserint *département de la Lippe* et *départemens Hanséatiques*. V. MARTENS, op. l. T. V, p. 326, 330, 340, 346, 350; KOCH et SCHOELL, Hist. des Traités, V. VIII, p. 325; Rhein. Bund, XVIII, p. 151, LI, p. 455, LII, p. 147, LIII, p. 309, LVIII, p. 117; LANCIZOLLE, op. l. p. 106. Tot autem illis conversionibus perfectum nunc fuit, quod, jam anno 1770, Francos viros politicos suscepisse novimus consilium, parvarum civitatum multitudine, in Germania praecipue, Francicum agrum circumdandi, stirpis vero Habsburgicae vehementer deprimendi potestatem.

viribusque destitutis, ut resistendi audacibus NAPOLEONTIS consiliis nulla amplius uterentur facultate, fieri sane minime potuit, quin in tanta rerum omnium inconstantia atque perturbatione, quum et earum, quas firmas incolumesque saeculorum decursus propagavisset atque insigni reverentia complures deinceps generationes prosecutae fuissent, multae brevi tempore aut omnino evanuissent aut novam plane formam habitumque induissent: jura ritusque publici plerarumque civitatum, tum alii, tum qui ad ordinum descriptionem, privilegia auctoritatemque pertinerent, gravem etiam ac prorsus singularem conversionem experirentur. Accedit quod a pervulgatis jam dudum de rebus populorum opinionibus, quas eximio applausu permulti etiam Germanorum exceperant, Franci vero, quascunque regiones a mutata inde apud se forma regiminis occupassent, in his tum publici juris constituendi tum administrandae civitatis reddiderant fundamentum, sic longissime abhorrebat vigens adhuc, saeculo decimo nono ineunte, in rebus publicis Germanicis ordinum provincialium institutum, ut exspectare minime liceret, NAPOLEONTEM, quippe qui recentiorum illam temporum rationem haud quidem puram integramque sed suis unice usibus accommodatam et apud cives ipse suos vindicavisset et obtrudere devictis a sese nationibus soleret, simulac domesticis Germanorum rebus sese immiscuisset, non illud studiose acturum ut eadem, quantum fieri posset, apud hos etiam reciperetur. Quod quidem nec non caeterarum legum institutionumque Francicarum in Germaniam traducendi consilium diligenter cum in iis civitatibus perfecisse, quas a sese efformatas ac propinquis suis subjectas, arctissimo cum

Francia, id est secum, vinculo conjunxisset, infra copiosius a nobis exponetur [1]. Neque sane vel opus erit animadvertere, in iis provinciis, quas ipsius Francici imperii corpori NAPOLEONTIS lubido adnexuisset, Francicum jus tum publicum tum privatum quaeque ad civitatis administrationem pertinerent, ritus, normas, instituta tantum non omnia, protenus vigere, jussu victoris, incepisse: quarum igitur sic obliterata pristina ratio fuerit ut ne nomina quidem veterum partitionum servarentur. Verum in aliis quoque bene multis Germaniae civitatibus, in quibus hoc infausto tempore Francorum non adeo valuerit auctoritas, ut quamnam principes secuturi essent gubernandi legem, diserte ab illis praescriberetur, ipsa tamen rerum politicarum continuo agitatarum natura atque progressio tum alias graves interni status attulisse mutationes, tum hoc imprimis necessario effecisse dicendae sunt, ut antiqua omnis evanesceret ordinum provincialium constitutio. Tot enim factis terrarum alienationibus ac translationibus ut nulla ferme esset civitas, quin perpetuo velut motu turbaretur, multis earum, quas antea habuerat, partium truncata novisque in illarum locum adscitis: et disjungi plurimis regionibus acciderat, quibus, ab

---

[1] Quam diligenter illud actum a NAPOLEONTE fuerit ut omnia prope, quibus Franci uterentur, instituta, cum Germanicis nationibus communicaret, optime patet ex lege illa publica, quam, anno 1807, Westphalensi civitati condiderit, in qua non tantum universe ad Francicorum placitorum speciem praecipua' juris publici capita administrandique ritus definiti fuerunt, verum etiam, tum codex civilis francicus in Westphalia vigere jussus, tum monetae, ponderum, mensurarum ratio ac proportio eadem, quae in Francia valebat, tum lex Francica de conscribendis militibus recepta, tum denique et pacificatorum judicum et juratorum sancita fuit institutio. Vid. dict. Const. Artt. 17, 34, 45, 46, 47, 53.

antiqua inde aetate, communia ordinum comitia suppetierant et componi, quae circa hocce institutum placitis legibusque admodum diversis usae fuerant [1]. Quae res, uti passim in Germania quo minus quidquam amplius ordinum ageretur auctoritate prohibuit, sic in nonnullis regionibus decretorum de abroganda ordinum constitutione edendorum causa exstitit. Quale placitum in ipsa legatorum imperialium consultatione anni 1803 jam deprehendimus, quo pronuntiatur, ob discerptum tractum Monasteriensem non esse ut pristinum ordinum regimen vigere ibi perseveret [2] illudque exemplum, jam altero anno, secutus est princeps Nassoviae Weilburgensis, in subjectis sibi archiepiscopatus Trevirensis reliquiis idem pariter tollendum jubens institutum [3]. Uti vero hoc modo, ne ab interitu ordinum qualiscunque tandem constitutio servaretur, grave impedimentum urgens rerum necessitas objecerat, sic eamdem ipso jure evanuisse, certe principibus ut eam proprio marte abrogarent, plane liberum esse factum, invalescere coepit opinio, postquam, pacis Presburgensis decreto, summi imperii facultatem sociis suis adserendam NAPOLEON curavisset [4]. Quae cum brevi post, ineunda confoederatione Rhenana, insigniter illis confirmata

---

[1] V. MAURENBRECHER, op. l. § 149; KLÜBER, Oeff. R. d. T. B. §§ 49 et 282.

[2] Consult. Legat. Imperial. 25 Febr. 1803, § 3: »Aus der getroffnen Vertheilung folgt *von selbst* dass die bisherige ständische Verfassung nicht mehr statt finden kann."

[3] V. HABERLIN, Staatsarchiv, N°. 50, p. 183; WINKOPP, d. Rhein. Bund. N°. 1, p. 135. De Westphaliensi ducatu ordinibus suis privato V. J. F. RUNDE, Ueber die Erhaltung der öffentl. Verfassung in die Entschädigungslanden, nach d. Reichsdeputations Hauptschluss v. 1803, mit Anwendung auf d. Herzogthum Westphalen, Gött. 1805.

[4] EICHHORN, § 609, p. 683 et not. a; KLÜBER et MAURENBRECHER, ll. ll.

Francia, id est secum, vinculo conjunxisset, infra copiosius a nobis exponetur [1]. Neque sane vel opus erit animadvertere, in iis provinciis, quas ipsius Francici imperii corpori NAPOLEONTIS lubido adnexuisset, Francicum jus tum publicum tum privatum quaeque ad civitatis administrationem pertinerent, ritus, normas, instituta tantum non omnia, protenus vigere, jussu victoris, incepisse: quarum igitur sic obliterata pristina ratio fuerit ut ne nomina quidem veterum partitionum servarentur. Verum in aliis quoque bene multis Germaniae civitatibus, in quibus hoc infausto tempore Francorum non adeo valuerit auctoritas, ut quamnam principes secuturi essent gubernandi legem, diserte ab illis praescriberetur, ipsa tamen rerum politicarum continuo agitatarum natura atque progressio tum alias graves interni status attulisse mutationes, tum hoc imprimis necessario effecisse dicendae sunt, ut antiqua omnis evanesceret ordinum provincialium constitutio. Tot enim factis terrarum alienationibus ac translationibus ut nulla ferme esset civitas, quin perpetuo velut motu turbaretur, multis earum, quas antea habuerat, partium truncata novisque in illarum locum adscitis: et disjungi plurimis regionibus acciderat, quibus, ab

---

[1] Quam diligenter illud actum a NAPOLEONTE fuerit ut omnia prope, quibus Franci uterentur, instituta, cum Germanicis nationibus communicaret, optime patet ex lege illa publica, quam, anno 1807, Westphalensi civitati condiderit, in qua non tantum universe ad Francicorum placitorum speciem praecipua' juris publici capita administrandique ritus definiti fuerunt, verum etiam, tum codex civilis francicus in Westphalia vigere jussus, tum monetae, ponderum, mensurarum ratio ac proportio eadem, quae in Francia valebat, tum lex Francica de conscribendis militibus recepta, tum denique et pacificatorum judicum et juratorum sancita fuit institutio. Vid. dict. Const. Artt. 17, 34, 45, 46, 47, 53.

antiqua inde aetate, communia ordinum comitia suppetierant et componi, quae circa hocce institutum placitis legibusque admodum diversis usae fuerant [1]. Quae res, uti passim in Germania quo minus quidquam amplius ordinum ageretur auctoritate prohibuit, sic in nonnullis regionibus decretorum de abroganda ordinum constitutione edendorum causa exstitit. Quale placitum in ipsa legatorum imperialium consultatione anni 1803 jam deprehendimus, quo pronuntiatur, ob discerptum tractum Monasteriensem non esse ut pristinum ordinum regimen vigere ibi perseveret [2] illudque exemplum, jam altero anno, secutus est princeps Nassoviae Weilburgensis, in subjectis sibi archiepiscopatus Trevirensis reliquiis idem pariter tollendum jubens institutum [3]. Uti vero hoc modo, ne ab interitu ordinum qualiscunque tandem constitutio servaretur, grave impedimentum urgens rerum necessitas objecerat, sic eamdem ipso jure evanuisse, certe principibus ut eam proprio marte abrogarent, plane liberum esse factum, invalescere coepit opinio, postquam, pacis Presburgensis decreto, summi imperii facultatem sociis suis adserendam NAPOLEON curavisset [4]. Quae cum brevi post, ineunda confoederatione Rhenana, insigniter illis confirmata

---

[1] V. MAURENBRECHER, op. l. § 149; KLÜBER, Oeff. R. d. T. B. §§ 49 et 282.

[2] Consult. Legat. Imperial. 25 Febr. 1803, § 3: »Aus der getroffnen Vertheilung folgt *von selbst* dass die bisherige ständische Verfassung nicht mehr statt finden kann."

[3] V. HABERLIN, Staatsarchiv, N°. 50, p. 183; WINKOPP, d. Rhein. Bund. N°. 1, p. 135. De Westphaliensi ducatu ordinibus suis privato V. J. F. RUNDE, Ueber die Erhaltung der öffentl. Verfassung in die Entschädigungslanden, nach d. Reichsdeputations Hauptschluss v. 1803, mit Anwendung auf d. Herzogthum Westphalen, Gött. 1805.

[4] EICHHORN, § 609, p. 683 et not. a; KLÜBER et MAURENBRECHER, ll. ll.

cumque singulis, qui ad istam societatem deinceps accederent, principibus communicata fuisset, mox, dissoluto Imperio Germanico, ab omni in posterum periculo remota ac stabili perquam niti fundamento videretur: auctum etiam magnopere civitatum rectoribus studium esse apparuit, sic tributam sibi potestatem adhibendi, ut, quascumque utiles existimarent juris publici mutationes, eas pro lubitu perficere conarentur. Quod quidem quo jure actum ab illis fuerit, de eo in varias partes acerrime disputatum novimus[1]. Ast unice

---

[1] Principes Germanicos, ab inita inde Societate Rhenana ac supremo imperio acquisito, jure usos fuisse tum mutandi pro lubitu civitatis constitutionem tum abrogandi, existimarunt J. T. N. BRAUER, Beiträgen zu e. Allgem. Staatsrecht der Rhein. Bundesstaaten, Carlsr. 1807, p. 7, sqq. C. S. ZACHARIAE, Jura publica civitatum, quae foederi Rhenano adscriptae sunt, § 23, sq. Eamdem facultatem, post exstinctas erga Imperium Germanicum obligationes, ita principibus suppetiisse, si minime simplex verum inter plures divisa summae potestatis exercitio fuisset, eam autem adhibere necessario eos debuisse, ubi tantis vitiis laborare constitutionem comperissent, ut assequendo civilis societatis proposito haud amplius idonea posset censeri, contendit BEHR, in: Systematische Darstellung des Rhein. Bundes, p. 209, sqq. Denique, sublatis Imperii legibus, antiquam constitutionem vigore *ipso jure* destitutam fuisse, praedicarunt J. ZINTEL, in: Entwurf eines Staatsrechts für d. Rhein. Bund, p. 120; N. T. GÖNNER, in: Archiv für die Gesetzgeb. u. Reform des jurist. Studiums, V. I, (1809) p. 1—16; Anonymus, in: Neuen Allemannia, V. I (1816) p. 1 sqq. Nullum vero circa publica jura civitatum ejusmodi effectum aut Imperio adscribi licere dissoluto aut Rhenanae conjunctae foederationi, perhibetur in Declaratione regis Hanoverani in Congressu Viennensi, apud KLÜBER, Acten d. Wien. Congr. V. I, p. 69; tum in: Zufällige Gedanken ob durch die Rhein. Bund-Acte der neuen Teutschen Souverainen über ihre Eigenthumslander grössere Gewalt beigelegt worden sey, als sie über dieselben vorhin gehabt haben (1807) p. 49, sq. imprimis vero a G. H. VON BERG, Abhandlungen zu Erläuter. der Rhein. Bund-Acte, V. I, p. 208, sq. Vid etiam G. WIE-

probandam eorum ducimus sententiam, qui concessam Germanicis principibus auctoritatis amplificationem iis tantum, quibus Imperio quondam tenerentur, obligationibus liberare eos potuisse perhibeant, minime vero illud spectavisse existiment, ut, subito ac tamquam uno ictu exstinctis, quaecumque cives, ab antiquo inde tempore, consecuti jura privilegiaque in moderanda civitate fuissent, infinitam ferme illi de cunctis rei publicae statuendi negotiis soli adipiscerentur potestatem [1]. Nec provincialium ordinum instituto juribusque et commodis inde deinceps enatis, quippe quae pactis, principem inter et cives legitime initis, originem fere suam debuerunt, Rhenanae societatis conventione quidquam facile detrahi licuerit [2], utut oriri sibi ex hacce plenissimam illa negligendi removendique facultatem, ple-

---

SAND, Comm. de Abrogationis legum Germanic. vi et effectu in civitatibus foederi Rhenano adscriptis, praesertim in earum formam, Zerbst, 1808, § 18; A. H. MEISSEL, Quaestiones de jure publ. civitatum foederi Rhenano adscriptarum, Spec. I (Lips. 1811) p. 34, sqq. et 40; Jenasche Allgem. Lit. Zeitung, a. 1807, N°. 301, sq. § 18, N°. 304, p. 612, a. 1808, N°. 132. Operae pretium denique fuerit conferre ipsam Leg. Imp. Cons. anni 1803, § 60; J. F. RUNDE, op. modo a nobis citato; HABERLIN, Staatsarchiv, L, p. 166, sqq. LI, p. 272, sqq.

[1] »Die neu erlangte Souverainetät schloss in ihrem Ursprung rechtlich mehr nicht in sich als Befreiung von der Reichshoheit; und eher waren die Unterthanen berechtigt Ersatz zu fordern für die durch widerrechtliche Aufhebung der Reichsverbindung erfolgte Entziehung oder Minderung mancher von ihren Rechten und für Entziehung des Schutzes ihrer Rechte durch die Reichshoheit.'' Ita KLÜBER, O. R. d. T. B. § 49. Cf. VON BERG, op. l. p. 200, sqq. WINKOPP, Rhein. Bund. III, p. 381. sqq.

[2] KLÜBER, l. l. ibid. ac not. c; V. BERG, l. l. p. 210. sqq. Pertinent huc, quae de consilio abrogandae apud Lippenses Detmoldenses ordinum constitutionis novaeque ei substituendae, leguntur in Actis (Protocoll) Conventus Germanici, d. 12 Aug. 1819, § 182, sq.

risque persuasum fuerit principibus, in testimonium non tantum supremi imperii vocantibus acquisitionem, verum sublatam esse ordinum auctoritatem exinde etiam satis probari affirmantibus, quod, quorumcumque auctoritate ac veluti tutela placitorum, decretorum, institutionum, nomine civitatis Germanicae universae, defensa olim et ab omni aggressione vindicata variis in provinciis ordinum privilegia fuissent, haec omnia in communi legum imperialium exstinctione intercidissent [1]. Atque huic argumentationi haud leve pondus accedere ex eo videbatur, quod in ipso Confoederationis Actu, ordinum provincialium ne verbo quidem commemoratio occurrebat: quamquam, si conservari eos inter publica civitatum instituta socii voluissent, eo certe loco significaturi illud fuisse credebantur, ubi futuros mediatorum nobilium honores accurate descripsissent [2]. Denique, cum in ejusdem Actus Art. 26, quasnam publicae administrationis partes summi imperii com-

---

[1] MAURENBRECHER, op. l. § 149; KLÜBER, l. l. ibid. Inter instituta, quorum erat jura privilegiaque ordinum vindicare praecipuo loco memoranda sunt Imperii Tribunalia. Recentissime de hisce juribus tuendis actum fuerat in Capitulatione Electoria (Wahlcapitulation) anni 1790, II, § 3. Magnopere autem dissentiunt viri docti de quaestione, num omnes omnino Imperii leges ipso Rhenanae Societatis pacto abrogatae fuerint (Act. Rh. Conf. a. 2) an illae permansisse existimari debeant, quibus variarum nationum jura tum publica tum civilia respicerentur, quatenus a principibus suprema utentibus potestate haud deinceps infirmatae fuissent. Vid. de haoce controversia GÖNNER, Ueber den Umsturz der deutschen Staatsverfassung u. s. Einfluss auf die Quellen, 1807, p. 50, sqq. FEUERBACH in: Themis, a. 1812, p. 276, sq. WINKOPP, Rhein. B. XXVI, p. 222; VON BERG, op. l. N°. 3; WIESAND, op. l. MAURENBRECHER, op. l. § 92, not. k, § 127, not m; Lehrbuch des Deutschen Rechts, § 1 et § 11.

[2] MAURENBRECHER, Grunds. d. heut. D. Staatsr. § 149, N°. 3.

plecteretur exercitio definitum fuisset, harum autem plerasque ejusmodi esse appareret, quae, antiquo ac prope communi civitatum jure, nisi interposito ordinum adsensu, certe consultatione cum iis instituta, pertractari olim minime potuissent, hinc locum illum disertam continere arbitrati sunt ordinum privilegiorum abrogationem [1]. Hisce igitur aliisque similibus rationibus usi, multi principes Germanici, ab anno inde 1806, edicta promulgaverunt, quibus in civitate quique sua illisve in ea tractibus, ubi prae caeteris ad eum usque diem viguisset, sublatam iri ordinum constitutionem decernerent. Quod ubi, rescripto d. 30 Dec. a. 1805, primus omnium rex Wurtembergiae fecisset [2], hujus exemplum, d. 23 Maji 1806, Badensis elector secutus est, auctoritate Brisgavenses ordines idcirco privari oportere dictitans, quod haec perficiendis in civitate emendationibus impedimento fore videretur, popularium autem felicitati per collegia gubernationi praeposita satis efficaciter pro-

---

[1] Art. 26 Act. Conf. Rhenan. haec leguntur: »Les droits de souveraineté sont ceux de législation, de juridiction suprême, de haute police, de conscription militaire ou de recrutement et d'impôt." Cf. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 44, Staatsr. d. Rheinb. § 103. Quo igitur articulo ordinum spectatam abrogationem fuisse, contenderunt etiam BRAUER, Beiträgen zu e. Allg. Staatsr. d. Rhein. Bundes Staaten, p. 7, sqq. BEHR, System. Darstellung des Rhein. Bundes, p. 209. Nisi quod is distingui oportere existimat inter illos ordines, qui jure *consentiendi* usi fuissent atque eos, quibus *deliberandi* modo suppetiisset facultas, ita ut ad illos tantum abrogatio pertinuerit. V. MAURENBRECHER, ibid. N°. 4 et not. f.

[2] Annotavit hoc rescriptum WINKOPP, in Rhein. Bund, I, p. 138. Vid. etiam KOCH et SCHOELL, Hist. Abrégée des Traités, V. VII, p. 437; R. VON MOHL, Staatsrecht des Königr. Wurtemberg (alt. ed. Tub. 1840) V. I, p. 22, sqq.

spiceretur [1]. Deinde, paucis post mensibus, magnusdux Hassiae Darmstadtensis, ex potestatis suae plenitudine (aus landesherrlicher, unbeschränkter Machtvollkommenheit) consilium illud agressum se praedicans ejusque tum illa, quae modo diximus, argumenta afferens, tum illud sese agere perhibens, ut simplex constansque sibi per universam regionem publici juris ratio efficeretur [2]. Atque eadem rerum conversio in Coburgia Saalfeldica accidit [3]. Rex vero Bavariae primum, ordinum dignitatis extenuandae gratia, publicae pecuniae moderamine eos spoliavit, mox, edicto d. 1 m. Maji a. 1808, antiquum illud penitus delevit institutum eique legem de imperio substituit ejusmodi, quae ad normam celebratorum apud Francos placitorum satis diligenter esset exacta [4]. Idem fere, biennio post, princeps suscepit Anhaltiae Cothenensis, nulla re melius de civibus suis merere se posse profitens, quam si, quae jura publica populis suis, liberorum instar a sese dilectis, magnus ille NAPOLEON impertiisset, eadem et ipse nationi Anhaltinae concessisset [5]. Namque NAPO-

---

[1] WINKOPP, l. l. ibid. p. 140.

[2] V. Edictum 1 Oct. 1806, apud WINKOPP, l. l. V. III, p. 381.

[3] KLÜBER, O. R. d. T. B. § 282, not. e. In illa Pomeraniae parte, quae a Suevici regis imperio pendebat, sublati ordines fuerunt decreto d. 26 Jun. 1806. V. Polit. Journ. 1806, p. 687. Mox ipsa Sueviae constitutio in illam provinciam introducta fuit. Ibid. Aug. 1806, p. 817 et 820. Sub Danorum vero ditionem Holstenensi ducatu redacto, (decreto 9 Sept. 1806) reliquiae ibi quoque ordinum instituti evanuerunt. V. KLÜBER, Uebersicht der diplom. Verhandl. d. Wiener Congr. p. 241, sq.

[4] Rhein. Bund, XVIII, p. 468, XIX, p. 11, sq. KLÜBER, Uebersicht, u. s. w. p. 225, sq. SCHMELZING, Staatsr. d. Königr. Baiern, Leipz. 1820, V. I, § 2.

[5] Vid. Ordinatio d. 28 Dec. 1810, in Rhein. Bund, LII, p. 97, LIV, p. 381; Constitutionen der Europ. Staaten, V. II, p. 260, sqq.

LEON, quo vehementi studio ducebatur leges consuetudinesque illas, quas utilissimas fore suae dominationi optime teneret, cunctis a se subactis provinciis inferendi, simulac, consutis multarum civitatum pannis, Westphalicam rem publicam efformavisset, nolens committere ut modi, quem in ea gubernanda rex creatus secuturus esset, integra ei definitio relinqueretur, formulam sub nomine constitutionis ipse ei praescripserat [1], perquam diligenter elaboratam, isti vero, quam solam probare assuevisset, civilis prudentiae rationi sic unice accommodatam, ut satis omnino pateret, hanc eum legem tamquam perfectum aliquod exemplar proponere voluisse, quod in emendandis civitatum institutis singuli deinceps Germaniae principes imitarentur [2]. Qua enim lege cum haud pauca de popularium juribus gravissima praecepta continerentur, quibus vindicandae stabiliendaeque ipsorum libertati insigniter prospectum iri exspectare sanequam liceret, iis omnibus sublatis, quae, quanto laetiorem nonnullis civium juris honorumque conditionem impertirentur, eo tristiorem reliquorum prope omnium sortem efficerent justaque ac salubri aequabilitate per cunctos hominum ordines diffusa:

---

[1] Edita haec est lex publica, d. 16 Nov. 1807. V. Rhein. Bund, XII, p. 472; Const. d. Europ. Staat. V. II, p. 117; PÖLITZ, Europ. Verfass. seit d. Jahre 1789, V. I, P. I, p. 36, sqq. DUFAU, DUVERGIER et GUADET, Collection des Constitut. Chartes et Lois fondament. etc. T. II, p. 210, sqq. KLÜBER, Staatsr. d. Rheinb. § 187.

[2] EICHHORN, § 616, p. 724. Multi etiam scriptores exstiterunt, sic vehementer hancce constitutionem approbantes, ut recipiendam eam singulis ferme principibus commendarent; quorum quidem rationes accurate exponuntur apud WINKOPP, in Rhein. Bund; tum in diario Germanien, quod prodiit, auctoribus CROME et JAUP, denique apud GONNER, Archiv für d. Gesetzgeb. u. Reform d. Jurist. Studiums.

quorsum scilicet pertinuit quod legibus universi pariter incolae constringi omnibus jubebantur [1], quod sacrorum plena sanciebatur libertas [2], quod feudalis illa rusticorum servitus penitus tollebatur [3], nobilium autem privilegia, servatis eorum titulis gradibusque, abrogabantur [4], in re porro tributaria, haud aliter atque in caeteris publici juris obligationibus, parem omnes conditionem nanciscebantur [5], praediale denique vectigal ne quintam proventuum partem superare liceret cavebatur [6]: in civium tamen repraesentatione antiquae ordinum auctoritati substituenda eam viam ingressi sunt Napoleontei legumlatores, qua specie quidem satis agi liberaliter cum popularibus videretur, reapse vero ad unius imperantis voluntatem plurima referrentur, civibus certe minime insignis locus in gubernanda re publica concederetur. Etenim centenis universi populi causam acturis mandatariis, quorum, tertia sui parte singulis trienniis decedentium, ex agrorum possessoribus seligi oportebat septuagenos, ex iis, qui mercaturae rerumve utilium fabricationi operam impenderent, quindenos totidemque ex eruditorum virorum aliorumve bene de patria meritorum civium classe [7]: gravissimum sane horum designandorum officium, in cujus scilicet definitione popularium in gubernanda civitate efficaciae vis omnis atque ratio cerneretur, instituendis in unaquaque provincia (département) [8] collegiis attributum

---

1 Const. du R^me de Westphalie, Art. 10.
2 Ead. Const. ibid.
3 Ead. Const. Art. 13.
4 Ead. Const. Art. 14.
5 Ead. Const. Art. 16.
6 Ead. Const. Art. 16.
7 Ead. Const. Artt. 29 et 30.
8 Ead. Const. Art. 34.

est [1] ejusmodi, quae ex iis, qui plurimum collaturi essent tributi, ex opulentis maxime negotiatoribus ac fabricatoribus, e viris denique literatis et artificibus aliisque civibus laudatissimis, certa proportione componenda [2], caeterum a regis unice pendere nominatione deberent [3], nisi quod quicumque illis adscripti socii fuissent, hancce dignitatem quoad victuri essent conservare ab eaque judicis tantummodo sententiâ removeri posse jubebantur [4]. Quod vero ad partes attinet, quas circa publicae rei moderationem commissum iri hisce mandatariis oporteret, versatae illae omnes sunt in deliberatione de iis legum speciminibus obeunda, quae a concilio civitatis elaborata, ipsius deinde regis jussu illis proposita fuissent atque aut rei pecuniariae quotannis perficiendam ordinationem, aut tentandas in juribus civilibus monetaeque statu continerent mutationes, de quibus ubi prius a selectis horum comitiorum sociis selectisque consiliatoribus communiter disquisitum fuisset, occultis deinde cunctorum mandatariorum suffragiis pertractari illa debere statuebatur [5]. Conventum autem ex hujusce legis publicae praeceptis efformatum,

---

[1] Ead. Const. Art. 39: »Il sera formé dans chaque département un collège de département." Art. 14: Les collèges de département nommeront les membres des Etats.

[2] Ead. Const. Art. 40: »Le nombre des membres des collèges de département sera à raison d'un membre pour mille habitans, sans qu'il puisse néanmoins être moindre de deux cents." Art. 41: »Les membres des collèges de département seront nommés par le roi et seront choisis, savoir: les quatre sixièmes parmi les six cents plus imposés du département, un sixième parmi les plus riches négocians et fabricans et un sixième parmi les savans, les artistes les plus distingués et les citoyens qui auront le mieux mérité de l'Etat."

[3] Ead. Const. Art. 41, init.

[4] Ead. Const. Art. 43.

[5] Ead. Const. Art. 53, Art. 21—25.

Diaetamque Imperii (Reichstag) magnifico nomine vocitatum, donec integra res Westphalica permanserit, bis, annis scilicet 1808 et 1810, celebratum fuisse accepimus [1]. Hocce igitur exemplum sequendum sibi ratus Bavariae rex, cum in nova anno 1808 decernenda constitutione [2] illud praesertim sese agere profiteretur, ut, abrogatis et ordinum auctoritate ac privilegiis et variarum provinciarum circa publicos conventus admodum inter se diversis institutis, simplicem omnibusque regni partibus communem populi repraesentationem induceret [3], sancitam in lege Westphalica rationem satis omnino diligenter expressisse dicendus est, ipse quoque novam subjecti sibi agri in circulos aequali fere amplitudine proponens distributionem [4], huic vero tum alia multa tum electionem etiam populi mandatariorum superstruens, simili atque apud Westphalenses, a rege unoquoque in circulo componendae concioni similibus utenti juribus ac honoribus attribuendam [5].

Alteram Westphalicae legis filiam, huic atque Bavaricae sorori omnia fere similem, Francofurtensem, auspicante principe primate recenti magno ducatui praefecto, d. 16 Aug. a. 1810 in lucem prodiisse novimus [6], ipsam quoque originem suam minime dissimulantem, verum eatenus tantum a matre sua differre sese profitentem, quatenus angustiori, quam esset rectura, civitati, minutior fere nu-

[1] Rhein. Bund. XX. p. 319, XXII, p. 89, XLI, p. 301, XIX, p. 28.
[2] Vid. quae de hac constitutione Bavarica d. 1 Maji 1808, argumenti nostri habita ratione, fusius dicturi sumus infra, Cap. III, § 1.
[3] Const. Bavar. d. 1 Maji 1808, Tit. I, § 2, coll. prooem.
[4] Ead. Const. T. I, § 4. [5] Ead. Const. T. III, § 4.
[6] Legitur haec constitutio in PÖLITZ, Europ. Verfass. V. I, P. I, p. 45, sqq. Constitutionen der Europ. Staaten, V. II, p. 235. Vid. de ea WINKOPP, Rhein. Bund, LI, p. 317—357; PÖLITZ, op. cit. p. 42—44.

merorum ratio conveniret [1]. Itaque publici conventus socios, eadem prope classium servata proportione, vicenos designandos edixit [2] cumque in quatuor regiones (Departements) dispesci civitatem jussisset [3], attributa hisce singulis perpetuorum electorum collegia, agris locupletium, mercatorum fabricatorumque, excellentium denique doctrinâ virorum, haud alio ac Westphalicus legislator induxisset temperamento, effici congressione pronuntiavit [4]. In quorum uniuscujusque collegiorum frequentiâ definienda hoc pariter adhibitum est fundamentum, quot in aliqua regione millia haberentur incolarum, totidem cives electorum illic adscribi concilio debere [5]. Legatorum vero nominationem inter quatuor regiones sic aequabiliter lex distribuit, ut a quovis collegio trinos agrorum possessores, singulos mercatores fabricatoresve, singulos etiam eruditos eligi oportere decerneret [6]. Caeterum, quod decedendi attinet sociis impositam conditionem, in convocando, prorogando, dissolvendo coetu principis arbitrium, consiliatorum principalium in praeparandis, quae ordinum deliberationi subjiciantur, auctoritatem, ipsis populi delegatis gerendas in rei publicae moderatione partes, praescriptum iis denique agendi per lectos mandatarios nec non ferendorum in

---

[1] Constit. Francofurt. d. 16 Aug. 1810, prooem.

[2] Ead. Const. § 26: Caeterum neque his populi mandatariis nec Westphalensibus nec Cothenensibus stipendia ex aerario solvi oportuit. Ibid. coll. Const. Westph. Art. 29, al. 2, Edicto de ordinando ducatus Anhaltini Cothenensis jure publico, d. 19 Febr. 1811, § 13.

[3] Ead. Const. § 29.

[4] Ead. Const. § 33. Quorum collegiorum socii a principe nominandi munus suum donec aetatem degant retenturi perhibentur. Ibid. § 32.

[5] Append. ad Const. Francofurt. 10 Sept. 1810, Art. 1.

[6] Ead. Const. § 35.

conventu suffragiorum ritum: ad eamdem atque apud Westphalenses normam omnia paene constituta reperimus [1]. Prodiit vero, d. 10 Sept. 1810, Appendix ad legem publicam Francofurtensem [2], accuratius decernens de ratione, quam in eligendis tum populi delegatis tum iis, unde senatores provinciales municipalesque magnus dux designaturus esset, electorum sequi collegia oporteret. Hac de suscipiendae legationis capacitate duplex insuper placitum continetur: primum, nullos esse magistratus, si ministros civitatisque consiliarios, haud item electores provinciales excipias, quin, dummodo legitimis conditionibus satisfaciant, collati in sese a populo mandati obeundi simul utantur libertate; deinde, expletam triginta annorum aetatem in delegatis postulari [3]. Vix autem mentione indiget, quae decreta, libertatis aequabilitatisque civium ergo, circa feudalem servitutem tollendam [4], nobilium, salvis ipsorum titulis, abroganda privilegia [5], paria jura variis sacrorum formulis concedenda [6], vectigalium onus aequabiliter inter omnes distribuendum [7] aliaque similia superiores leges publicae edixissent, eadem Francofurtanis hominibus magni ducis beneficio indulta fuisse.

---

[1] Ead. Const. §§ 27, 28, 19-22, coll. Const. Westph. Art. 30-33, 21-25.

[2] Legitur in PÖLITZ, Europ. Verfass. I, I, p. 49—51.

[3] Append. ad Const. Francof. Art. 10.

[4] Const. Francof. § 13, coll. Const. Westph. Art. 12, 13, Const. Bavar. T. I, § 3.

[5] Const. Francof. § 14, coll. Const. Westph. Art. 12, 14, Const. Bavar. T. I, § 5. Salva tamen *mediatis* principibus dominisque illa privilegia manserunt, quae in solatium amissae pristinae conditionis Actus iis Rhenanae Societatis largitus fuerat. Const. Fcfurt. § 12.

[6] Const. Fcfurt. § 11 et 13, coll. Const. Westph. Art. 10, Const. Bav. T. I, § 7.

[7] Const. Fcfurt. § 15, coll. Const. Westph. Art. 16, Const. Bav. prooem.

Superest ut de constitutione Anhaltina-Cothenensi breviter videamus. Primum igitur, d. 28 Dec. 1810, dux AUGUSTUS CHRISTIANUS FREDERICUS legem dedit [1], cujus uti prooemium insignem prae se ferebat NAPOLEONTIS adulationem, ita omnis erat ad eorum celebrationem placitorum composita, quae, illo maxime auctore, variis in Germaniae civitatibus invalescere coepissent. Itaque, sumpto a recipiendis juris codicibus Francicis exordio [2], ad rem judiciariam statim transibat eum in modum efformandam, ut, quibus magnum Francici imperii corpus regeretur institutis, eorum in pusilla hac civitate vix quidquam desiderares [3]. Napoleontei autem juris tum civilis tum judiciarii receptioni consentaneum erat, ut sublatis nobilium privilegiis exstinctae pariter, quae agrorum possessoribus competierat, jurisdicundi facultatis commemoratio adjungeretur [4]. Quod argumentum, propter haud similiter admissos codices Francicos, in iis haberi, quibus ordinandis antiquorum quorumdam placitorum paullo tenaciorem rex sese Bavariae praestiterit, hac data opportunitate animadvertimus [5]. Observatu vero dignum est, Cothenensem ducem sancitam omnium civium aequalitatem ad Judaeos etiam homines porre-

---

[1] Exstat in Rhein. Bund, LII, p. 97; Constitut der Europ. Staat. V II, p. 260, sqq. PÖLITZ, Europ. Verf. I, II, p. 1057, sq. Vid. etiam WINKOPP, Rh. Bund, LXV, p. 225, sqq. STENZEL, Handbuch der Anhaltischen Geschichte (Dessau, 1820) p. 287, sqq. BÜLAU, op. cit. p. 45, sqq.

[2] Const. Cothenens. d. 28 Dec. 1810, Art. 1.

[3] Ead. Const. Art. 3—6.

[4] Ead. Const. Art. 9 et 10.

[5] Const. Bavar. 1 Maji 1808, T. V, coll. Edict. de re judiciaria, d. 24 Jul. 1808, Edict. 25 Jul. 1808, de agrorum possessorum juri-

xisse, quo factum ut iisdem hi, quibus reliqui omnes uterentur, juribus et obligationibus admoveri coeperint [1]. Porro publicae administrationi concilium [2] civitatis, ipsius ducis sub auspiciis, praefectum est, universa autem regio in binas partes (Departements) harum rursus utraque in binos districtus divisa [3]. Quod vero nostra magis refert exposuisse, abrogato, qui praecipue adhuc de gravioribus consuli insuevisset, equitatus ordini [4] novum selectorum civium corpus substitutum legimus, Cothenensium hominum universitatem in quacumque majoris momenti definienda quaestione repraesentaturum, hos autem duodecimviros ea lege constitui oportuisse, ut eorum octoni e civibus agriculturae incumbentibus, bini e mercatorum classe totidemque ex eruditis viris desumerentur [5]. Simul de rerum iis agendarum ambitu atque naturâ nec non de ratione eos eligendi proprio cautum iri rescripto annuntiabatur [6]. Quae omnia placita quum anni 1810 lege publica vindicarentur, prodiit paucis post mensibus de ordinando ducatu constitutio (Organisation des Herzogthums, 19 Febr. 1811) [7] quo illorum quidem plurima repetita, multa autem diligentius definita, nonnulla vero etiam immutata fuerunt [8]. Et eorum, in quibus legi 10 Decembris derogatum est, praecipue notanda venit binarum,

---

bus, Edict. de jurisdictione patrimoniali, 8 Sept. 1808. V. PÖLITZ, Europ. Verf. I, I, p. 103—109, 115—123, 124—129.

[1] Const. Cothenens. Art, 13, coll. Art. 8.

[2] Ead. Const. Art. 18.

[3] Ead. Const. Art. 17.

[4] PÖLITZ, op. c. I, II, p. 1056.

[5] Ead. Const. Art. 19, al. 1 et 2.

[6] Ead. Const. Art. 19, al. 3.

[7] PÖLITZ, ibid. p. 1058—1061.

[8] Inter instituta, quae edicto d. 19 Febr. 1811 recepta fuerunt, primarium locum obtinet *juratorum* in causis criminalibus judicium. Vid. § 23.

quas diximus, provinciarum, salvo partitionis nomine (Departement) coalitio, in senas vero quatuor minorum partium (Districten) distractio [1]. Singulare igitur decretum institui jussit collegium, cujus principis arbitrio in omne vitae tempus designatos octodecim socios, id est e locupletium classe duodenos, ex opulentioribus mercatoribus trinos totidemque e doctis viris et artificibus [2], mandatariorum functuros esse nominatione, non ea quidem integra sed sic ut, singulis deinceps constituendis, binos candidatos, quorum ex ipsis electoribus alterum sumi liceret, duci proponere tenerentur, unde huic utrum vellet seligendi relicta potestas [3]. De caeteris vero, quae legatorum conventum spectant, non est ut data operâ disseramus, quum taediosum sane foret ea hîc repetere, quae jam saepe in superioribus exposita fuerint [4]. At nova illa tanto studio elaborata instituta per breve admodum tempus Cothenensem rexerunt civitatem, quum, defuncto a. 1812 m. Maji principe, rerum potitus minorenni ipsius successori tutor datus dux Anhaltiae Dessaviensis, jam die ejusdem anni 24 Octobris, recentem constitutionem sustulerit pristinaque civitatis instituta, paucis mutatis, resuscitaverit [5].

Magnus autem dux Badensis, postquam anno 1806 veterem ordinum constitutionem abrogaverat, memorabile edidit, die 5 Jul. a. 1808, decretum [6], quo gravissimorum, qui nuper in Germaniâ acciderant, even-

---

[1] Edict cit. § 8 et § 1, coll. Const. Art. 17. [2] Edict. cit. § 10.

[3] Edict. cit. §§ 11, 12. Ducis praeterea erat praesidem conventus designare. [4] Edict. cit. § 13 et § 14, coll. § 5.

[5] Rhein. Bund, No. LXV, p. 225, sqq. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 287, not. d; BÜLAU, op. c. p. 48; PÖLITZ, l. c. p. 1057.

[6] WINKOPP, Rhein. B. XX, p. 312, sqq.

tuum consideratione permotum sese profitebatur, ut complures emendationes tam in jure publico quam administrandi normâ ritibusque institueret. Quapropter non tantum aliis in multis nova placita veteribus rei publicae legibus substituit, verum etiam id se agere pronuntiavit, ut popularis repraesentatio induceretur ejusmodi, quae ad recens conditarum in Westphaliâ ac Bavaria legum praecipue fuisset effigiem expressa. At irrita mansit per omne tempus salvae societatis Rhenanae illa promissio neque ejus in edicto d. 26 Nov. 1809 graves admodum regiminis continente mutationes, verbo factam commemorationem invenimus [1].

Illud igitur quum in majoribus plerisque Confoederationis Rhenanae civitatibus ageretur, ut, abrogatis, quibus singuli civium ordines usi hucusque fuerant, privilegiis, populo quidem libertatis aequabilitatisque beneficia in nonnullis egregie concederentur, uni tamen exaugendo principis imperio omnia prope inservirent jura institutaque rei publicae, popularis imprimis repraesentatio iis limitibus circumscriberetur, quibus haud sane firmum inde nasci posset ad tuenda civium commoda praesidium, caeterum Francicorum civilium virorum placitis opinionibusque omnis ferme civitatis moderatio superstrueretur [2], fuerunt tamen etiam in

---

[1] WINKOPP, Rhein. B. XL, p. 27, sqq. XLIV, p. 239, sqq. PÖLITZ et BÜLAU, ll. cc.

[2] Vid. de Wurtembergiâ: PÖLITZ, op. c. I, I, p. 350 sqq. BÜLAU, op. c. p. 62 sqq. v. MOHL. Staatsr. d. Königr. Württemb. V. I, p. 22, sqq. de magno ducatu Bergensi: DUFAU, DUVERGIER et GUADET, Collection des Constitutions etc. T. II, p. 219—224; Rhein. Bund, I, p. 118, 113, II, p. 252; BÜLAU, l. l. p. 40, 41; de Hassiâ Darmstadensi: BÜLAU, l. l. p. 72; WEISS, Hess. Staatsr. I, p. 50, sqq. Universe de immutandi studio in multis Rhenanae Confoederationis civitatibus: BÜLAU, l. l.

adscriptis isti societati principibus, qui servandae, quantum fieri liceret, antiquae rationis ducerentur studio ac, si vel aut quaedam innovare temporum necessitate coactos semet viderent, aut adeo a multis utiliter emendandis ipsi minime exsisterent alieni, praecipua tamen juris publici capita incolumia relinquenda arbitrarentur, provincialium igitur ordinum traditam a majoribus descriptionem privilegiaque conservarent. In quibus primum omnium Saxoniae memorari electorem oportet, a multis propterea laudatum, quod, hoc quidem tempore, in ordinum instituto quidquam noluerit immutare[1]. Atque illud tuendi antiqui juris exemplum minores prope omnes ex adsociatis recenti confoederationi civitatibus satis diligenter secutae reperiuntur[2].

---

p. 29 et p. 73, sqq. EICHHORN, Deutsche Staats- und Rechtsgesch. V. IV, § 609 et § 616.

[1] BÜLAU, op. c. p. 27, sq. PÖLITZ, op. c. I, I, p. 199, sq, WEISSE, Gesch. v. Sachsen, V. VII, p. 174, sqq. V. MILHAUSER, Staatsrecht des Königr. Sachsen (Leips. 1839) V. I, § 21.

[2] Ita scilicet fecit dux Saxoniae Vimarensis, qui, die 20 Sept. 1809, jungendorum Vimarensis, Isnacensis atque Jenensis coetuum opportunitate, legem publicam de ordinum constitutione proposuit ejusmodi, qua praecipua juris antiqui placita magis confirmarentur quam immutarentur. Retentis enim, quae hucusque de rebus publicis consuli adsueverant, binis classibus, locupletium videlicet agris atque oppidanorum servataque academiae Jenensi proprium designandi legatum facultate, cavebatur, ut duodenis sociis, senis agrorum possessoribus, quinis urbanis unoque homine academico junctus trium circulorum coetus foret componendus, celebrari vero eumdem quotannis, stato tempore, vel citra principis advocationem oporteret, per integrum sexcennium concilii societate singuli mandatarii uterentur, ea lege ut bini singulis annis essent decessuri. Caeterum, in juribus etiam, auctoritate, officiis horum legatorum definiendis magis id actum videtur, ut genuina juris Germanici praecepta vindicarentur, quam novum principis potestati adjiceretur firmamentum. V. Constitutio Vi-

Quodsi hinc ad illas civitates oculos convertamus, quarum coërcendarum gratiâ Rhenanum foedus ineundum Francorum imperator curavisset, Austriam videlicet atque Borussiam, patet, harum principibus non hoc demum tempore acquisitam verum jam ante saeculum possessam supremi imperii facultatem minime nunc illuc valere apud eos incepisse, ut civium juribus tollendis minuendisve propriae potestatis amplificationem quaererent, sed in Austriâ quidem variarum haud alienatarum provinciarum ordines ad antiquum ritum convenire perrexisse [1], Borussicam vero misere afflictam

---

marensis, Isnacensis, d. 20 Sept. 1809 (apud PÖLITZ, Europ. Staatsverf. I, II, p. 732, sqq.) §§ 1, 2, 5, 6, 7, 8, 9, 11, 19, 22 deque eligendi modo et conditionibus §§ 12—14. Verum ad hujusce legis placita temperari numquam Vimarensi rei publicae contigit. Vetus ordinum institutum pariter servarunt dux Saxoniae Gothensis, Altenburgensis (WINKOPP, Rh. B. XIII, p. 473, sq. PÖLITZ, l. c. p. 778) dux Saxoniae Hildburghausensis (WINKOPP, op. c. III, p. 485, sq. K. A. ZACHARIAE, Deutsch. Staats- und Bundesr. Gött. 1841, Vol. I, p. 349) magni duces Meclemburgenses, qui communia utriusque regioni a saeculo inde decimo sexto jura publica, ordinibus in consilium adscitis, emendanda suscipientes, eorumdem adsensione in posterum quoque sibi utendum pronuntiavere (WINKOPP, XVIII, p. 278, sq. PÖLITZ, l. c. p. 1018, sqq.) duces Anhaltini Bernburgensis et Dessaviensis (KLÜBER, O. R. d. T. B. § 287, not. d; PÖLITZ, l. c. p. 1056) principes Hohenzollernenses (KLÜBER, op. c. § 286, not. v. et § 288, not. e, PÖLITZ, l. c. p. 1071) princeps Lippensis Detmoldensis, licet hic veri nominis ordinum conventus, antea quotannis celebrari solitos, ab eo inde tempore, quo Confoederationis Rhenanae socius factus est, habere desierit (KLÜBER, op. c. § 286, not. w; PÖLITZ, l. c. p. 1096; ZACHARIAE, l. c. p. 350) principes Reussenses, Greitzensis atque Schleitzensis (KLÜBER, op. c. § 287, not. e; PÖLITZ, l. c. p. 1095) princeps Waldeckensis (KLÜBER, op. c. § 286, not. e; PÖLITZ, l. c. p. 1106.)

[1] SCHMELLER, Das Ständewesen in Oestreich, apud VON ROTTECK, Allgem. Polit. Annalen, V. III, P. III (1830) N°. 1; BRENDEL, Die

truncatamque civitatem illum ex adversis rebus fructum percepisse, ut, partim velut solatium aliquod tantis in calamitatibus circumspiciens, partim et multo magis inde sibi nasci debere spem omnem salutis intelligens, praeclare emendandis compluribus rei publicae institutis operam navare aggrederetur. Quippe populus quum ex imperitandi jam diu illic usitata consuetudine nihil sibi momenti in gerenda re publica relinquente, civium adeo moderationi militarem prope adhibente severitatem [1], inertiam atque languorem contraxisset ejusmodi, quae invadentium nuper hostium mirifice progressibus favissent: recte judicaverunt, a quibus tum civitas gubernabatur, viri prudentissimi, non esse ut umquam huic meliora tempora allucescerent, nisi ingenitus civium animis acrior honestiorque sensus fuisset, quo turpem patriae lapsum ulciscendi vehemens apud eos cupido excitaretur; hoc autem ut contingeret, illud agi ante omnia oportere, ut jurium commodorumque faustiorem adepti conditionem, et amare discerent civitatem et arcto vinculo bene de se meritis imperantibus devincirentur [2]. Quod quanam illi ratione feliciter assecuti fuerint, quum a nostro abhorreat proposito accurate enarravisse, verbo tamen praecipuae notandae sunt emendationes, quas publico Borussorum statui illatas hoc tempore

Gesch. d. Wesen u. d. Werth der National-Repräsent. V. I, p. 274; BÜLAU, op. c. p. 521; KLÜBER, op. c. § 287.

[1] BRENDEL, op. c. II, p. 68, sqq. BÜLAU, op. c. p. 83, 88; Lexicon Politicum (Staatslexikon) edit. a C. VON ROTTECK et C. WELCKER, V. XIII, No. 1, p. 53, sqq.

[2] BRENDEL, op. c. ibid. p. 75, sqq. BÜLAU, op. c. p. 77—99; EICHHORN, D. S. u. R. G. V. IV, § 610 et § 616, in f. et not. o; Lexicon Politicum, ibid. p. 66, sqq. K. F. BECKER, Algemeene Geschiedenis, (Haarlem 1826—1840) V. XIX, p. 264, sqq.

accepimus, insigni multorum laudatione ideo praesertim exornatae, quod e genuino profectae populi felicitatis exaugendae studio, supplendi magis corrigendique, prouti aetatis ratio postulabat, vetera, quam nova prorsus inducendi prae se tulerunt voluntatem, immunes igitur ab inconsideratae maculâ levitatis repertae sunt, cujus in publicis juribus mutandis haud ambigua multi principes Rhenani documenta exhibuerunt. Primum igitur ea memoramus decreta, quae annis lata 1807 (d. 9 m. Octobris)[1] 1808 (d. 27 Julii)[2] et 1810 (d. 30 Oct.)[3] feudalis servitutis juriumque tum regalium tum terrarum possessoribus competentium, quotquot civium repugnare libertati censebantur, exstirpationem sanciverunt, cujusvis autem generis agrorum acquirendorum omnibus communem reddiderunt facultatem. Quibuscum conjungi debet diei 14 Sept. 1811 ordinatio[4], qua in verum dominium utile jus rusticorum fuit mutatum neque non edictum m. Nov. 1810[5], quo opificialium societatum privilegia sublata fuerunt. Nullum vero hujusce temporis institutum majorem nactum laudem est municipali d. 19 Novembris 1808 ordinatione, quae scilicet urbanis hominibus amissam jam pridem magistratus suos eligendi libertatem restituit iisdemque alia multa praeclara tribuit beneficia[6]. Hanc eodem anno

---

[1] EICHHORN, ibid. § 616, not. o; BÜLAU, ibid. p. 96: Lexic. Polit. ibid. p. 66; BECKER, ibid. p. 272. A. HIRUS, Uebersichtl. Darstellung des Preuss. Staatsrechts (Berol. 1833) §§ 99 et 100.

[2] BÜLAU, ibid. HIRUS, ibid. § 100.

[3] BÜLAU, ibid.

[4] EICHHORN, ibid. BÜLAU, ibid. p. 97; HIRUS, ibid. §§ 100, 101.

[5] Lexic. Polit. l. c. p. 69; HIRUS, op. c. § 95.

[6] EICHHORN, ibid. BÜLAU, ibid. p. 88, 96; Lexic. Polit. ibid. HIRUS, op. c. § 70 et §§ 89, sqq. BECKER, op. c. ibid. p. 274—277.

insecuta sunt tum edictum d. 17 Decembris [1], quo, inopiam rei publicae sublevandi gratiâ, alienari licere domania regis pronuntiatum est: quod tamen placitum anno demum sequente (6 Novembris) legis accepit auctoritatem, postquam in nonnullis provinciis superstites ordinum coetus sua illud adsensione confirmavissent [2]: tum d. 29 Decembris decretum [3], quo, si ordinationem ei adjungas d. 27 Octobr. a. 1810 [4], administrandae civitatis ratio formaque probabiliter admodum emendatae fuerunt In quo decreto nobis quidem illud prae caeteris animadvertendum venit, quod ibi de ordinum delegatis moderatorum in unoquoque districtu (Regierungsbezirke) collegio adsociandis, pari atque illis futuris auctoritate, sancitum legimus [5]. Hoc enim ideo suscipi dicebatur consilium, ut arctior inter magistratus populumque intercedens necessitudo fiduciam huic reique publicae studium aleret augeretque, ipsam communium negotiorum tractationem utiliorem efficacioremque redderet, vitandis tollendisque abusibus ampliorem praeberet opportunitatem [6]. At irrita tunc illa mansit promissio. Verum ad regiminis emendationem omnino pertinuit, quod jam anno 1807 (10 Octobr.) decretum reperitur, in publicis muneribus conferendis virtutis tantum atque peritiae, haud vero nobilitatis dehinc rationem haberi oportere [7]. Quod uti generis discrimen spectabat, ita in sacris omnem circa jura publica Catholicorum atque

---

[1] Bülau, ibid. p. 97, 91.

[2] Bülau, p. 92; Lexic. Polit. l. c. p. 68.

[3] Eichhorn, ibid. Bülau, ibid. p. 93—96. Hirus, op. c. § 283, sqq.

[4] Bülau, ibid. Hirus, ibid.

[5] Edict. d. 27 Oct. 1810, § 17. Vid. Lexic. Polit. l. c. p. 68.

[6] Edict. cit. § 18, coll. prooem.

[7] Bülau, ibid. p. 91.

Protestantium distinctionem sustulit edictum d. 26 Dec. a. 1808: quin etiam, triennio post (11 Mart. 1812) Judaeis hominibus paullo faustiorem indultam juris conditionem accepimus [1]. Denique notamus, anni 1810 mense Octobri, praedialis tributi obligationem cunctos civium ordines complecti coepisse atque alias graves utilesque in definitione exactioneque vectigalium receptas mutationes fuisse [2].

Quo igitur tempore sic populi in gratiam plurima sapienter emendare totque beneficiis, tamquam stimulis aptissimis, universorum mox ad arma vocandorum civium animos excitare Borussiae rectores aggrederentur, de instituendo aetatis convenienter usibus populi mandatariorum corpore omnino etiam cogitatum ab iisdem fuisse, nemo sane erit qui miretur. Scilicet memoratum a nobis populares legatos magistratibus adjungendi conamen unius mensis intervallo notissima STEINII ministri regii praecesserat epistola [3], qua, deponendi muneris occasione scripta, certissimum tamquam libertatis praesidium, communem totius populi etiam atque etiam commendabat repraesentationem: hac enim instituta, sic demum sperare licere, ut variae civium classes, propriis posthabitis utilitatibus, omnium in rem publicam amore firmiter inter se conjungerentur [4]. Quare illud agendum

---

[1] BÜLAU, ibid. EICHHORN, ibid. MIRUS, op. c. § 108.

[2] Et rex luxui inservientes et multae illarum, quae ad victum pertinent, aequabili ubivis normâ tributo gravatae fuerunt. Novi quoque generis vectigali (Gewerbesteuer) originem dedit opificialium privilegiorum abrogatio (Edict. 2 Nov. 1810). Eodem tempore (30 Oct.) bona ecclesiastica publici juris facta fuerunt. EICHHORN, ibid. BÜLAU, p. 98; MIRUS, § 214, § 227; Lexic. Polit. ibid. p. 68, 69.

[3] Lexic. Politic. ibid. p. 66, 67.

[4] »Es kam darauf an, die Disharmonie, die im Volke Statt findet,

esse, ut, rejecta, quae adhuc in Borussicis regionibus viguisset, populi partes obeundi satis perversa lege, singuli tributi quiddam pendentes cives, quocumque aut divitiarum essent modo aut rerum, quibus operam utiliter navarent, conditione, suos eligendi mandatarios libertatem adipiscerentur. Observandum tamen est, supremae regis potestati, noluisse STEINIUM, ut quidquam tali instituto detraheretur [1]. Postquam vero, die 6 Junii 1811, cancellarius factus HARDENBERGIUS idem se atque STEINIUM in gerenda re publica sequi propositum ostendisset, edicto illi, quod ad omnes possessores rerum soli vectigal porrigebat, haec etiam regis nomine adscripta est declaratio: »volvi apud illum consilium, idoneam repraesentationem, tam singulis in provinciis quam universae corpore civitatis, populo indulgendi [2].“ Cui effato, brevi post (d. 7 Sept. 1811) iisdem paene verbis repetito [3], nonnihil quoque ponderis accessit ex eo, quod, anno 1811 ineunte, exquirendo, quo lapsa res pecuniaria sanari posset, remedio, spectatos viros, principis quidem

---

aufzuheben, den Kampf der Stände unter sich, der uns unglücklich machte, zu zernichten, gesetzlich die Möglichkeit aufzustellen, dass Jeder im Volke seine Kräfte frei in moralischer Richtung entwickeln könne.— Das nächste Beförderungsmittel scheint mir eine allgemeine National-Repräsentation.“

[1] »Heilig bleibe uns das Recht unseres Königs. Aber damit dieses Recht und diese unumschränkte Gewalt das Gute wirken kann, was in ihr liegt, schien es mir nothwendig der höchsten Gewalt ein Mittel zu geben, wodurch sie die Wünsche des Volks kennen lernen und ihren Bestimmungen Leben geben kann.“

[2] »Wir behalten Uns vor der Nation eine zweckmässig eingerichtete Repräsentation, sowohl in den Provinzen, als für das Ganze zu geben.“ Preuss. Gesetzsamml. 1810, p. 31; BÜLAU, ibid. p. 92. Lexic. Polit. ibid. p. 69.

[3] Gesetzsamml. 1811, p. 262. BÜLAU et Lexic. Polit. ibid.

arbitrio designatos, regionum tamen classiumque singularum vices acturos, Berolinum convocari placuit [1]. Sed ex horum deliberatione quo minus utilem patria fructum perciperet, praepostera maxime nobilium studia prohibuerunt [2]. Unde quum manifesto apparuisset, penitus mutatae civitati multo magis nocituram quam profuturam, hoc ancipiti tempore, veterem ordinum Borussicorum auctoritatem, haud sane vituperandi sunt Borussiae moderatores, verum necessitati obtemperasse dicendi, quod, edicto 12 Jul. 1812, conventuum in Brandenburgià Pomeraniâque ultima vestigia deleverunt [3]. Quam enim regi esset propositum, ut mox placitis liberalioribus obsoletum illud exciperetur institutum quamque in gubernanda civitate hoc unice optaret, ut magis consentiente sibi populo quam obediente uteretur, tum alia haud ambigue demonstrarunt testimonia, tum luculenter expressit memoratam concionem auspicans HARDENBERGIUS, gratum regi fuisse futurum referens, si ita breve intra tempus perfici popularis repraesentatio potuisset, ut, quam ipse de re tributaria conditurus esset legem, explorandae super hac populi mandatariorum sententiae copia illi suppeditavisset [4].

---

[1] BÜLAU, p. 92, sq. BRENDEL, op. c. V. II, p. 77.

[2] Liberalioribus, quae hoc tempore invaluerant, placitis praesertim infestos nobiles sese Lebussenses exhibuerunt. V. VOSS, Zeiten, 1811, II, p. 420, sqq.

[3] BRENDEL, l. c. p. 78. Decem post diebus, unicuique circulo administrando, legatorum nobilium, urbanorum ac rusticorum instituti conventus fuerunt. Gesetzsamml. 1812. p. 141.

[4] Vid. oratio inauguralis HARDENBERGII, d. 23 Febr. 1811, apud VOSS, Zeiten, 1811, I, p. 107, sqq.

CAPUT PRIMUM.

DE ORDINIBUS PROVINCIARUM AUSTRIACAE DOMINATIONI SUBJECTARUM.

§ 1.

Leges politicae fundamentales, instituta omnibus in Germania gentis Austriacae regionibus haereditariis communia.

Monarchia Austriaca conjunctionem efficit variarum regionum a se invicem non pendentium, quarum singulae legibus suis propriis utuntur suosque ordines habent, quae tamen universae peraeque subjectae sunt juribus et officiis illis, quae ex civili sub uno eodemque imperio profluunt consociatione.

Haereditariae regiones Germanicae stirpi Austriacae subditae omnes monarchico imperio reguntur. Extensa in singulis potestas est regia pro legibus ac consuetudinibus propriis cujusque. Sunt autem regiones illae: Austria proprie sic dicta, tres Ducatus Austriaci interiores, Styria, Tyrolia, Bohemia, Moravia, Silesia.

Supremis collegiis ac magistratibus administrationi praefectis subjectae sunt omnes inque his summae Curiae juri dicundo, quae Viennae habetur.

6

Apud omnes, salvis legibus ac consuetudinibus propriis, varii recepti sunt Austriaci de jure codices.

Summum in singulas hasce regiones imperium juraque inde pendentia haereditario nomine transeunt ad mares, natalium ordine observato: deficientibus maribus, succedunt foeminae (Pragm. Sanct. CAROLI VI.)

Ordines congressi novo regi rerum potito fidem atque obedientiam spondent. Rex tum confirmat privilegia ac libertates ordinum.

Munera haereditaria praecipuorum officiariorum tamquam feuda masculina dari solent. Pertinent ad descendentes sexu masculino fruunturque iis natu maximi, dummodo Catholicis sacris addicti sint. Multa ex hac possessione oriuntur privilegia, quae legibus consuetudinibusque definiuntur.

Collegia ac dicasteria universalia Viennae constituta, quorum auctoritas ac jurisdictio omnes regiones haereditarias complectuntur, haec sunt:

1. Concilium Status, cui subjectae sunt reliquae Curiae omnes: praeest illi Imperator.
2. Cancellaria Aulae Austriacae atque Bohemicae, rerum, quae internam civitatis conditionem spectant, gubernatione administrationeque fungens.
3. Cancellaria Status externis rebus civitatis gubernandis.
4. Camera Superior rei pecuniariae administrationem obiens.
5. Legatio fidei publicae (crédit) custodiendae ac mensae argentariae regendae.
6. Camera Superior expensae pecuniae rationibus examinandis.
7. Concilium Aulicum de rebus bellicis, conflatum ex

concilio de administratione interna et concilio juri dicundo.

8. Concilium Aulicum immediatum circa mercaturam.
9. Curia Superior Justitiae, penes quam ultimus gradus est jurisdictionis omnibus regionibus haereditariis.

Concilium vero regendae Austriae Inferiori praepositum imperio utitur tantum in agros supra atque infra Enionem sitos.

§ 2.

De Archiducatu Austriae.

Archiducatus Austriae duas complectitur partes praecipuas: Superiorem Austriam atque Inferiorem, quarum utraque conventum suum ordinesque habet proprios.

Diaeta aut universalis est aut in selectum abit concilium, ab ipsius Diaetae sociis designatum quoque senatus provincialis perpetuus efficitur. Convocatur autem Diaeta ab Archiduce deque directis, quae vocantur, contributionibus suffragia ferendi habet potestatem. Quodcumque deliberando Diaeta constituit, ubi promulgatum est, legis habet vim.

Conventus publici participes sunt legati ex singulis hisce ordinibus, nempe: Pontificiis, Dominis (Herren) Equitibus (Ritter), Urbibus Archiducalibus. Viennensis urbis suffragia reliquarum urbium conjunctarum aequiparare debent calculos. Ordines tributa distribuunt, i. e. singulas definiunt summas, singulis urbibus ac toparchiis solvendas, quoties vectigalium pensionem summus imperans rogaverit.

Licet utraque partium suos habeat ordines suamque propriam administrationem, paria tamen fere inter se

habeantur oportet, quae in utraque solvi debeant tributa, eodemque modo percipiantur.

Omnes aut nobiles aut pontificii fundos in hac provincia possidentes Austriacae sunt stirpi imperatoriae subjecti, cujus solius est summi imperii jura exercere atque in Conventu Francofurtensi, suffragiorum de rebus Germanicis ferendorum causa, adsidere quaeque sola contributionibus obnoxia est, Germanicae Confoederationi debitis.

Nobiles judicantur ad normam proprii codicis sui, a judicibus tribunalis ab ipsis illis constituti.

Austriaca nobilitas distinguitur in nobilitatem titulis instructam et nobilitatem sine titulis.

Vasalli apud peregrinos investituram accipere non debent. Judicari possunt tantum a curiis feudalibus Austriacis provocandique ad gubernatores Austriacos utuntur facultate. Clerici obnoxii sunt oneribus tributisque publicis, sive in personam, sive in bona constitutis. In jure se sistunt iidem coram saecularibus tribunalibus, in iis scilicet causis, quas consuetudines legesque propriae definiverint.

§ 3.

De Tyrolia.

Circa Tyroliae jus publicum valet Ordinatio data ab Imperatore Austriac, d. 24 m. Martii ann. 1816, cujus placita hic subjiciamus.

A) *De Ordinibus Tyrolicis secundum Ordinationem* 24 *Martii* 1816.

Tyroliae populus in quatuor distinguitur ordines: Pontificios, Dynastas et Equites, Urbanos, Rusticos [1].

[1] Ordinat. 24 Mart. 1816, Art. 1.

Omnes capituli, qui etiamnum adsunt restitutive fuerunt nec non quotquot dynastarum ac nobilium ordinis participes habentur, tum urbes quoque eae, quae ante alienatam regionem tabulis civitatis (Landesmatrikel) inscriptae fuerunt, jura sua, quod ad ordinum societatem, recuperare jubentur. Tabulae autem ordinum conscriptorum gerendae committuntur Marescallo regionis ac selectis huic officio peragendo ordinis nobilium sociis iisdemque jus tribuitur proponendi, si qui in istas tabulas referendi videantur, quae tamen ipsa in tabulas relatio, ordinum respectu universorum, ab auctoritate unice pendet Imperatoris [1].

Constituitur porro, ut quae terrae antea Trientensis ac Brixensis districtus nomine celebratae fuerunt, debinc, circa descriptionem quoque ordinum, tamquam partes habeantur Tyrolicae provinciae: quapropter, ut in iis etiam singuli ordines quatuor admittantur, haud secus atque in reliquis partibus civitatis fiatque earum in tabulas insertio ita, ut paria ipsis tribuantur ac caeteris partibus jura [2]. Tum, ut in antiquam conditionem haereditariorum munerum possessores redintegrentur, observandis iis, quae lege et consuetudine, circa illam rem praescripta sunt [3]. Imperator sibi vindicat facultatem Praefecti provinciae (Landeshauptmann) nominandi [4].

B) *De conventu ordinum delectorum.*

Concilium publicum totius civitatis vicem gerens jusque habens nomine rei publicae de omnibus nego-

---

[1] Ordinat. ead. Art. 2.
[2] Ordinat. ead. Art. 3.
[3] Ordinat. ead. Art. 4.
[4] Ordinat. ead. Art. 5.

tiis decernendi [1], e selectis compositum est ordinum sociis, quos integri ordines, suo singuli nomine, designaverunt, observatis regulis praeceptisque circa munus eligendi datis [2]. Repraesentationis igitur jus atque officium penes hunc est congressum, cui illum in finem numerus suffragiorum concessus est quinquaginta duo, i. e. tredenorum ex ordinibus singulis. Convenire possunt tantum ex auctoritate convocationis principis ac discedere tenentur, simulac, nomine imperantis, pronuntiatum est, solutum conventum esse [3]. Moderatur hunc congressum praefectus, temperat vero deliberationes marescallus: illi liberum est suffragium suum aut ante aut post ordines interponere munusque incumbit calculos, peracta suffragiorum latione, colligendi: hic omni suffragio caret. Deficiente praefecto regioni, munus illius obit consiliarius aulae, gubernationi Tyroliae adscriptus; deficientem vero marescallum supplet primus de legatis nobilium, qui tum curare debet ut integram sibi servet ferendi suffragii facultatem. Quaecumque decreta fuerunt scripto consignare debent ordinum graphiarius ac praefectus regioni, tum, prout sancita ab ordinibus, promulgare. Notas rerum gestarum conscribant oportet referentes universales qui dicuntur (Generalreferenten) et graphiarii ordinum, comprobent praefectus atque marescallus, tum illae ordinum nomine edantur, subscribant iis denique praefectus et marescallus [4].

C) *De juribus et officiis conventus hujusce.*

Jus ordinum satis imprimis grave est circa rem tri-

---

[1] Ordinat. Art. 16, coll. Art 14.
[2] Ordinat. Art 11.
[3] Ordinat. Art. 14.
[4] Ordinat. Art. 15.

bulariam. Licet autem in ordinatione anni 1816 declaret princeps, »velle se integrum sibi servare injun»gendorum vectigalium facultatem:" subjicit statim: »quod ad praediale tributum attineat, decretum se suum »quotannis ordinibus esse suppositurum." [1] Atque alibi id tantum vetitum esse pronuntiat, »quominus, absque »comprobatione imperatoria, ullo in casu, vectigalia »tributaque ab ordinibus imponantur:" salvo iis relicto jure »distribuendi, custodiendi, procurandi tributa illa, »quibus princeps tellurem agrosque obstrinxerit pen»dentesque inde solutiones moderandi, observandis prae»ceptis ea de re aut a principe jam datis aut in posterum »etiam edendis," [2] Tenendum est nihil omnino decerni posse a conventu absque imperatoris interposita confirmatione [3]. Concessa vero ordinibus facultas est ut in congressibus suis, preces ac relationes, nomine civitatis, aut ad ipsum mittendas curent imperatorem, aut gubernio rei publicae Tyrolicae tradendas, cujus tum est videre ut ad aulam principis istae perferantur. Legatos ad regiam ab ordinibus non, nisi impetrata principis venia, mitti licet [4]. Cum ordinibus quoties quid communicare princeps velit, per rescriptum illud peragitur. Magistratus aulici nonnisi per interpositum gubernium Tyrolicum agere possunt cum ordinibus illudque ipsum scriptis notis eum in finem uti debet [5]. Denique vindicatur ordinibus jus proprios sibi subjectos officiarios designandi [6].

---

[1] Ordinat. Art. 7.
[2] Ordinat. Art 6.
[3] Ordinat. Art. 13
[4] Ordinat. Art 18
[5] Ordinat. Art. 18.
[6] Ordinat. Art 12.

D) *De collegio perpetuo ex ordinibus selecto (Perennirende Activität.)*

Distinguit hocce collegium a conventu publico imperator jubetque ut ejus munus habeatur, de iis rebus, quae deliberationibus ordinum commissae, perpetuam fere moderationem postulent, videre[1]. Compositum est ex quatuor cum jure suffragii sociis, singulis ex singulis ordinibus praeestque ei regioni praefectus [2]. Antiquum jus circa socios hujusce collegii videtur fuisse, ut munere illo fungerentur legati a quinis urbibus selecti, tum a rusticis, e singulis sex districtuum singulos mittentibus. Caeterum debet hocce collegium in rerum gestione, tamquam agendi norma, iis praeceptis uti, quae peculiari de ejus officiis Instructione contineantur manetque in administratione sua subjectum tum ordinibus universalibus tum imperio civitatis. [3].

Aderat olim etiam tribunal ordinum, in quo judicum fungebantur munere pontificii quatuor, nobiles totidem, urbani quinque, rustici denique sex. Illud jussa, quae a conventu edita fuerant, exsequi solebat, verum, nisi diaeta consentiente, de nulla re statuendi habebat potestatem.

§ 4.

De Bohemia.

Bohemia quoque suos habet ordines. Scilicet conventus habentur annui Praelatorum, Dynastarum, Nobilium, regiarum Urbium viginti septem. Qui summo

---

[1] Ordinat. Art. 14.
[2] Ordinat. Art. 17.
[3] Ordinat. ibid.

imperio funguntur conventus istos et convocant et moderantur.

Urbes regiae conjunctim singulari praeditae sunt suffragio, reliqui ordines singuli quaternis utuntur. Liberae urbes certis lege aut consuetudine sibi concessis immunitatibus fruuntur. Idem dicendum de urbibus iis, quae fodinas possideant. Personalis rusticorum servitus abrogata manet, cujus rei auctor exstitit olim JOSEPHUS II imperator. Servatur tamen obligatio variorum officiorum ejusmodi praestandorum, quibus proprium nomen sit *robotarum*.

Leges nec non antiquae consuetudines ordinum definiunt potestatem. Exstincta stirpe Austriaca, ita demum de summo imperio deferendo consultare ordines possunt.

Tributa petuntur eo modo, ut ordines, nomine imperantis, rogentur ab administrationis praeside, cui titulus est Magni Burgravi.

Superius collegium rebus Bohemicis praefectum atque Cancellaria Viennae institutae sunt, in qua urbe extrema consultatione statuitur de omnibus circa justitiam atque internam administrationem quaestionibus. Reliqua tribunalia, tum collegia rei pecuniariae moderandae Pragae collocata sunt.

Quivis circulus, quaevis urbs, quivis ager feudali titulo possessus sua habent tribunalia.

Quaedam ex praecipuis officiis ad certas gentes jure haereditario pertinent: alia, cum non sint haereditaria, inquilinis tantum committi debent.

Similem Bohemicae constitutionem habet Moravia.

§ 5.

De Galicia et Lodomeria, adjuncta Bukowina.

Imperator FRANCISCUS I, d. 13 m. Aprilis a. 1817,

circa hancce regionem decretum sancivit de constitutione ordinum, cujus hic praecipua capita subjecturi sumus.

A) *Quinam sint ordines.*

Quatuor sunt, secundum decretum 13 April. 1817, in Galicia ordines, scilicet: Pontificii, Dynastae, Nobiles sive Equites, Urbes regiae [1]. Ad praelatos pertinent archiepiscopi, episcopi, abbates abbatiarum, tum abbates illi, *infulam gerentes*, quos rogantes imperator juribus ordinum instruxerit, denique capituli [2]. Dynastarum ordinem conficiunt principes, comites ac toparchi (Freiherren) incolarum juribus ornati [3]. Equitum ordini adscripti habentur nobiles indigenae omnes, qui, quod ad generis sui nobilitatis probationem, iis omnibus perfuncti sunt, quae praecepta reperiantur decreto 20 Jan. 1782 intraque spatium eodem definitum in tabulas relati fuerunt; praeterea illi quoque, quibus sive imperator sive majores illius equitatus jura adtribuerint, denique nobiles equestri genere ex universis imperii partibus, simulac indigenarum Galiciensium jura ac relationem in tabulas nobilitatis assecuti sint [4]. Ex urbibus primaria civitas Lemberga sola quartum efficit ordinem, cum tamen facultatem sibi retinuerit imperator alias quoque regias urbes ordinis privilegiis muniendi [5].

Cum vero, quod ad constitutionem ordinum attinet, jam decreto 14 Martii 1787, conjuncta fuerit cum Galicia Bukowina, confirmavit hancce consociationem FRANCISCUS imperator, hisce additis de ordinibus istius provinciae placitis [6]: 1) ut Bukowinae episcopus, haud

---

[1] Decret. 13 April 1817, § 1.
[2] Decret. id. § 2, al 1.
[3] Decr. id. § 2, al. 2.
[4] Decr. id. § 2, al 3.
[5] Decr id. § 2, al. 4.
[6] Decr. id. § 3, al 1.

aliter ac Galicienses episcopi, ad pontificium ordinem pertineret [1]: 2) ut illae gentes, quibus, secundum §§ 2 et 3 Decr. 14 Martii 1787, comitum aut toparchorum data dignitas fuisset, dynastarum classi adjungerentur [2]: 3) ut Bojarii ac Masili, quotquot jure in tabulas relationis antehac usi fuissent, tum illi, quibus imperator majoresve ejus equitatum tribuissent, equitum ordini adscriberentur [3].

Corpora ordinum Galiciensium jure Lembergensi utuntur, tamquam foro privilegiato.

B) *De conventu ordinum.*

Jus in conventus ordinum Galiciae ac Lodomeriae, adjuncta his Bukowina, veniendi ibique suffragium ferendi, ex decreto 13 Apr. 1817, hisce competit:

1. illis, qui praecipuo quodam in civitate munere funguntur, in quibus primus locus concessus est archiepiscopo Catholico ritus Latini, tamquam regni Galiciae ac Lodomeriae primati [4].

2. Archiepiscopis ritus Graeci ac ritus Armeniaci, tum episcopis, abbatibus abbatiarum, abbatibus infulatis, rogatu suo ordinum juribus instructis ac legatis capitulorum, quorum Lembergensis capitulus binos, reliqui vero singuli singulos legatos ad conventum mittendi jus habent, injuncta tum his capitulariis, tum reliquis, praeter archiepiscopos et episcopos, clerici ordinis dignitariis, circa jura ipsorum ecclesiastica impetratamque indigenarum facultatem, coram ordinis praeside probatione, ut possint in conventum recipi [5].

---

[1] Decr. id. § 3, al. 2.
[2] Decr. id. § 3, al 3.
[3] Decr. id. § 3, al. 4.
[4] Decr. id. § 4, al. 1 et 2.
[5] Decr. id § 4, al. 3.

3. Viris aetate provectis, qui, praeter indigenatus jura in ordine aut dynastarum aut equitum, probationem faciunt, possidere sese unum plurave bona praedialia ejusmodi, ut imposita illis fuerit, tributi dominicalis nomine, anno 1782, (quod ad Bukowinam attinet, anno 1787) Rhenanorum florenorum pensio septuaginta quinque [1].

4. Duobus legatis urbis primariae Lembergae [2].

Illi, quibuscum jus societatis in conventu communicatum non est, non possunt illud exercere [3]. Praeest autem huicce conventui gubernii regionis praeses [4], cujus est ordinem definire, ad quem res in conventu agitandae pertractari debeant [5]: huic autem facultas competit suffragium suum sive ante sive post socios interponendi munusque, re peracta, incumbit suffragiorum colligendorum [6]. Conventus singulis annis celebratur, praefinito ab imperatore die. Urgente rerum necessitate, praeter diaetam, consentiente principe, extraordinaria convocari possunt comitia [7]. Pronuntiante, nomine imperatoris, gubernio, dissolutum conventum esse, statim discedendum est sociis [8].

C) *De juribus et officiis conventus.*

Jubet decreti § 5: »ordinum munus complecti causas »omnes, quae regni Galiciensium salutem aut ipsorum or- »dinum uniusve alicujus ex ordinibus commoda respiciant, »quatenus, aut circa causas istas praefecti imperio consi- »lium explanationemve ab iis expetiverint, aut ipsi ordines »sponte sua impulsos se senserint, ut ad publicam salutem

[1] Decr id. § 4, al. 4.
[2] Decr. id. § 4, al. 5.
[3] Decr. id. § 4, al. 6.
[4] Decr, id. § 8, al. 1.
[5] Decr. id. § 8, al. 2.
[6] Decr. id. § 8, al. 3.
[7] Decr. id § 10, al. 1.
[8] Decr. id. § 10, al. 2.

»tuendam relationes proponerent sive gubernio sive, hu»jusce ope, imperatori; praecipue vero ordinum tutelae »subjectas haberi custodiam ac distributionem tributorum »fundalium ac pensionum his cohaerentium, secundum »principia ab imperatore constituta aut in posterum etiam »constituenda; ordinationem tum contributionis propter »domicilium militare tum pecuniae dominicalis ordinum; »concessionem jurium indigenarum; creationem magis»tratuum ad ordines pertinentium; relationem de cor»porationibus sacris (Stiftungsplätzen) regno Galiciensi »reservatis propriisque constitutionibus instructis; deni»que tabularum nobilitatis (Adelsmatrikel) curationem." [1] Paullo vero post profitetur imperator velle sese integrum sibi servare universum juris tributarii ambitum, ita tamen, ut quaecumque pensiones cum tributo fundali cohaereant, has ad notitiam ordinum quotannis perferendas, solemnium postulatorum indutas forma, pronuntiet [2]; tum decernat liberum fore ordinibus, ad quemcumque finem assequendum, vel citra consensum principis, pensionem aliquam praescribere donumve petere [3]. Circa juris autem indigenarum attributionem sancitur ne conventus socii ex sua auctoritate illam possint exercere, nisi in gratiam eorum, qui ordinem jam occupaverint, sive dynastarum sive equitum in imperio Austriaco [4].

D) *De selecto ex conventus sociis collegio (Landesausschutz.)*

Ut in Tyrolia, sic in Galicia quoque, decreti saepius citati auctoritate institutum est, ut, praeter solemnem

---

[1] Decr. id, § 5.
[2] Decr. id. § 9, al. 3.
[3] Decr. id. § 9, al. 4.
[4] Decr. id. § 9, al. 5.

ordinum conventum, selectum ex ordinum sociis haberetur collegium, rerum perpetuo occurrentium peragendarum gratia [1]. Quod collegium ita sit compositum oportet, ut veniant in illud bini legati ex singulis trium ordinum priorum, unus vero ex urbe Lembergensi. Additi illi porro esse debent necessarii ad rite pertractanda negotia officiarii, tum diserta ei proposita de modo munerum ipsius peragendorum ordinatio [2]. Ante primum, ex praecepto decreti, d. 16 Junii 1817, habendum ordinum conventum, edictum dedit praeses gubernii de hujus concilii selecti sociis designandis, quo cautum etiam est ut, quod ad tres priores ordines, e binis legatis alter in sex, in tres vero annos alter constitueretur, urbanus vero legatus munus suum per sexcennium retineret.

§ 6.

De Hungaria.

Imprimis autem interest, ut Hungariae quae sit, quod ad argumentum nostrum, conditio, accuratius investigemus.

A) *De quatuor civium classibus ac primum de Nobilibus.*

Quatuor sunt in Hungaria classes civium, scilicet: Nobilium, Pontificiorum, Urbanorum et Rusticorum. Nobiles denuo in duas classes distiguuntur, nimirum Magnatum, id est Comitum, ac Baronum. Regis autem est, sicut omnia privilegia, honores, titulos conferre, ita quoque jus nobilitatis impertiri. Mortui, nullis relictis haeredibus, nobilis ad regem pertinent bona. Cuique inferioris ordinis nobili homini magnatis dignitatem

---

[1] Decr. id. § 6.   [2] Decr. id. § 7.

idem rex tribuere potest. Magnates, tum originarii tum receptitii, singuli jure gaudent suffragiorum in ordinis sui congressu. Penes regem est magnatibus nobilibusque concedere, ut recens a sese acquisita bona in majoratus convertant. Quisque nobilis civis jus habet societatis in conventibus illius comitatus, quem incolit atque ubi bona possidet. Est deinde lege ab omni violatione tuta nobilis persona. In vinculos conjici hujusce ordinis cives non debent, nisi culpae obnoxii declarati a judice eoque ad nobilitatis ordinem necessario pertinente, cui subjecti sunt, excepto tamen, si de crimine feloniae agatur. Soli nobiles tum agros possidendi facultate, tum jure dominico in colonos instructi sunt. Ab omni cujuscumque generis tributo pendendo immunes habentur, voluntariaque tantum conferre solent subsidia. Verum tenentur, ubi bellum exarserit, vocante rege, statim cum equis, militaris expeditionis participes, egredi. Caeterum obsequio erga eum tantum regem obstricti habentur, qui legitimo solemnique ritu diademate fuerit insignitus. Lex praeterea cuique civi nobili injungit ut ipse pro patria decertet utque, si haud satis copiarum suppeditet, vasallos suos armis instruendos curet et in bellum educat. Quicumque genere nobilis non est minime potest, omni in lite, ipse contra nobilem causam suam orare: necesse est saepe officium istud alicui de nobilium classe civi demandare.

B) *De pontificiis ac juribus circa cultum divinum.*

Clerici iisdem fere atque nobiles juribus et privilegiis utuntur eademque prope instituta circa bona eorum recepta sunt. Sicut nobiles, ita illi quoque quibusdam in casibus ultro insurgere tenentur. Qui non sunt ex ordine nobilium ad ecclesiastica tamen beneficia recte admit-

tuntur. Regis est ad magna munera pontificia promovere. Confert autem archiepiscopalis dignitas jus assidendi mensae septemvirali, quae supremum est Hungariae totius dicasterium. Eorum, qui ad ordines monachorum sese devoverunt, stipendium ne decimam partem ipsius, quo utuntur, patrimonii superare possit, cautum est. Archiepiscopus Granensis Primas dicitur Hungariae, quo nomine titulis praeterea ornatus est Principis Magni, Hungariae Cancellarii Sanctaeque Sedis Legati. Is regem sacro ritu inauguratur duosque adsessores in tribunali Camerae regiae designare potest. Inferioris vero ordinis clerici neque ad diaetam neque ad comitatuum conventus legatos mittere possunt. Quod ad res clericorum civiles attinet, in eas plena rex potestate fungitur: episcopatuum ac beneficiorum vacantium reditus idem percipit auctoritatemque suam exercet circa nullas non ecclesias ac sacras communitates.

Catholicorum autem Romanorum sacra prae caeteris publica sunt auctoritate recepta. Penes regem est videre, ne ecclesiae aliaque similia instituta juribus suis ac privilegiis destituantur. Graecis autem non conjunctis, qui dicuntur, bona immobilia acquirere ac publicis muneribus fungi licet. Judaeis, quascumque sibi elegerint urbes, in iis habitare, exceptis illis, quae effodiendis metallis operam navent, concessum est. Quod ad Protestantes attinet, cautum est, ne umquam novis privilegiis constitutionibusque impediatur, quo minus omnes ordines, magnates, nobiles, regiae urbes liberae, mercatibus instructae urbes pagique libera sacrorum suorum exercitione frui pergant, tributa hisce omnibus facultate templa aedificandi cum turribus atque tintinnabulis, tum scholas habendi suas ac coemeteria, admonitis

omnibus quarumvis classium hominibus, ne negotia illis facessant privilegia illa exercentibus, nec regis nomine neque alicujus ex optimatibus. Tum constitutum ut rustici sive intra urbes mercatibus frequentatas sive in regiis domaniis degentes, iisdem commodis utantur neque ab administris regiis nec nobilium hominibus in illis percipiendis ulla parte impediantur. Insuper, ut privati cultus atque publici omnis penitus distinctio tollatur omniaque publice sacra peragantur; Protestantibus autem tum sacerdotum suorum designandorum, tum sacrarum aedium sive turribus ornatarum sive minus sibi exaedificandarum collapsarumque reficiendarum, tum denique presbyteriorum scholarumque vel iis locis, quibus illa antea non adfuerint, exstruendarum, absque ulla veniae peculiariter impetrandae necessitate plenissima libertas tribuatur; simileque jus pertineat ad nobiles atque dynastas illos, qui sacrorum istam formulam amplexi fuerint; utriusque vero confessionis Protestantes in quaestionibus religionem spectantibus solis rei sibi sacrae obeundae praefectis obnoxii habeantur. Denique, ne vigentes adhuc de cultu divino leges neque eas, quae hoc ipso tempore conditae essent, vel levissima sui parte mutari per decreta regia liceret; Protestantes autem ut non tantum in consistoriis congrediendi verum et synodos convocandi uterentur potestate, dummodo rex locum habendae concionis indicavisset ac certior factus esset tam de numero sociorum conventurorum quam de rebus, quae ipsorum consultationi subjicerentur.

Cancellariorum concilium, quod praeest in scripturam redigendis tum regis decretis tum diaetae supremumque in Hungaria collegium habetur, decem sibi ad-

scriptos habet consiliarios, quorum duo episcopos, alterum catholicum, schismaticum alterum; tum ex optimatium ordine magnates duo ac sex inferioris ordinis nobiles, quorum omnium penes regem est designatio. Jurisdictio circa clericos peculiaribus tribunalibus est commissa, quae distinguuntur in tribunalia dioecesium, priori, quae dicitur, instantiâ causas judicantia et tribunalia metropolitana, prioris simul et alterius instantiae facultatem habentia. Itaque summum Hungariae dicasterium, Tabula Septemviralis dictum, quod caeteroquin de omnibus cujuscumque generis causis cognoscere solet, in pontificiorum litibus jurisdictionem habet nullam.

C) *De Urbanis ac juribus liberarum urbium regiarum.*

Cum liberis urbibus regiis communicatum est jus legatos in conventum publicum mittendi. Considerantur autem illae tamquam pars redituum summi imperii, inalienabili titulo ei subjecta omnibusque fruuntur juribus, quae nobilium ordini competere diximus. Immunes igitur habentur istarum urbium cives a portoriis, in militaribus, quae vocantur, regionibus (Militärgränze) solvendis. Libera iidem quoque utuntur magistratuum suorum electione, tum burgimagistrorum atque judicum, exceptis tantum municipalitatis consiliariis, quorum collegium non tantum jurisdictione fungens in civilibus ac criminalibus causis civium, vitae et necis proinde habet potestatem, verum etiam conjunctim cum universitate civium decreta legesque municipales conficere solet, quarum auctoritas ipsius urbis moenibus circumscripta non debet universae civitatis legibus ulla ex parte adversari. Singulis liberis urbibus jura competunt patro-

natus exercendi, feriarum celebrandarum ac symboli gerendi. Sicut cuique comitatui praefecti circa res in eo obeundas judiciarias atque civiles, ita liberae quoque civitates regiae concilio subjectae sunt Imperii, quod vocatur, rationibusque ei reddendis obnoxii earum magistratus habentur. Singuli autem cives, licet nobiles non sint, provocandi ad curias superiores jure instructi sunt.

D) *De Rusticis.*

Quae ab antiquo inde aevo viguit in Hungaria rusticorum servitus, hanc, nostris temporibus, penitus sustulit jurium civilium ac rei publicae commodorum aequior diligentiorque consideratio. Itaque possunt nunc hujusce ordinis homines a dominis, quibus subjecti fuerant, discedere, modo debitas omnes pensiones exsolverint deque rebus suis mobilibus disponere, ita tamen dum ne immodica in uno eodemque districtu emigratio inde exoriatur. Possunt igitur, relicto pristino domicilio, ad alium herum, famulitatis nomine, transire. Toparchiarum vero possessores primum habent in vasallos suos jurisdictionis veluti gradum, integra his provocandi ad superiores curias facultate. Neque praeclusa rusticis est ad nobilium classem perveniendi via ac dehinc nulla non civitatis munera gerendi.

E) *De Ordinibus, penes quos jus est societatis in Conventu publico sive Diaeta.*

Quatuor sunt, ut vidimus, classes civium, quatuor pariter conventus publicus constat ordinibus, verum ita, ut, exclusis rusticis, nobilitatis latissimo sic dictae sensu singulae classes singulos ordines efficiant. Veniunt igitur in Diaetam: 1) Clerici, 2) Magnates (Comites ac

Barones) 3) inferioris generis Nobiles, 4) Liberae Urbes Regiae.

Ex his ordinis utriusque nobiles soli jus obtinent diaetae personàliter assidendi, singulis liberis urbibus regiis singulos nobiles repraesentationis nomine mittentibus ac si quae urbs plures miserit legatos, his conjunctim simplici tantum suffragio competente. Quod idem valet de legatis capitulorum. Habentur autem in quavis libera urbe regia nec non in quovis comitatu propriae de propriis rebus gerendis conciones, quibus causae quoque praeparantur diaetae deliberationi subjiciendae. Notandum denique est, a classibus illis militaribus, quae nominibus vulgo dicuntur Jazygorum, Cumanum et Hayducum, binos legatos in conventum mitti solere.

F) *De ratione conventus habendi.*

Regis est solius, diaetam, temporibus ac locis iis, quae idonea ipse duxerit, convocare, tum quoque eamdem et prorogare et dissolvere, denique res definire, de quibus agendum ei sit. Jubet autem lex conventum tertio quoque anno celebrari ac vel saepius, ubi necessitas illud postulaverit neque licet ultra duorum mensium spatium singulorum consessuum tempus extendi. Designatio rerum pertractandarum a rege eo maxime fit consilio, ut opportunitas legatis suppetat praeviam in eas inquisitionem instituendi. Convocatio autem socioseum epistolarum ope peragi solet. Visis confirmatisque testimoniis auctoritatis concessae, in duos coetus separatos socii digrediuntur, quorum alter magnatibus celebratus, Tabula vocari solet Magnatum, alter autem Tabulae Statuum nominatione frequentatur. Constat igitur coetus prior natu maximis magnatum, in quibus numeran-

tur principes, comites ac barones, archiepiscopi et episcopi tam dioecesium quam titularii, denique provinciis praefecti ac diadematis regii custodes. Praeest eidem Palatinus, qui, utpote summus magistratus, in universam quoque diaetam praesidio fungitur. In alterum vero coetum veniunt abbates, capitulorum legati (duo ad minimum ex quoque capitulo) bini trinive legati ex quinquagenis, in quas distributa est civitas Hungarica, comitatibus, adjunctis singulis e singulis liberis urbibus regiis legatis. Praeesse autem huic coetui eum moris est, qui Curiae Regiae, celebrandae diaetae nullo non tempore adjunctae, utatur moderatione. Adsistere rex diaetae, sive ipse, sive per mandatarios suos, consuevit. Abeunt porro socii coetuum in minora concilia, de iis, quae ipsis rex subjecerit, consultaturi, quae concilia, deliberatione perfecta, sententiam suam de rebus gravioribus secum invicem communicant. Ambo vero coetus, si necesse visum fuerit, in unum conventum, deliberandi gratiâ, congrediuntur. Suffragiis pluribus omnia constituuntur. Quodcumque propositum aque coetibus probatum fuerit, regi sanciendum offerri debet, qui aut confirmet illud aut rejiciat. Quae sic regis adsensu confirmata ab eodemque promulgata fuerunt, ea legum vim per totam accipiunt civitatem vocanturque Decreta Regni. Nisi secus necessitas postulaverit, interrumpitur juris dicundi officium, donec ad finem perductae sint diaetae deliberationes.

G) *De potestate Diaetae ac rebus illius consultationi suppositis.*

Sex huc potissimum capita referuntur, de quibus deinceps videamus:

1. Inauguratio regis. Ad imperium rex perveniens jure jurando spondere tenetur diadema regium servatum iri in regno a custodibus ex ordinum sociis selectis, tum quoque solemnem instaurare professionem, regia stirpe exstincta, jus eligendi regem ad ordines esse rediturum. Quae solemnis regis inauguratio ac diadematis impositio peragantur oportet intra sex menses, post decessoris mortem elapsos. Juramento denique promittit rex se populi privilegia religiose vindicaturum.

2. Palatini custodumque diadematis electio. Palatinus supremus Hungariae magistratus ipsiusque regis esse vicarius dicitur. Praeest hic tum concilio Imperii, quod vocatur, tum, ut vidimus, ordinum conventui Mensaeque Septemvirali sive supremo tribunali ipso jure adscriptus habetur. Ejus est regem diademate cingere atque ordines inter et regem conciliatoris partibus fungi. Ducere quoque Hungaricum exercitum solet tribusque praefectus est comitatibus, Pesthae, Pilidi et Soethae. Lex hunc vocat principem in tota civitate post regem. Creari eum lex jubet a Diaetâ ex quatuor a rege propositis candidatis. De custodibus diadematis jam supra diximus, moris ab antiquo fuisse, ut ab ordinibus eligerentur. Sunt autem hi cum palatino soli majores in Hungariâ magistratus, qui non a rege designari soleant. Quod vero ad comitatuum attinet magistratus, novi, tertio quoque anno, proponente gubernatore, ab ordinibus nuncupantur. Et circa nominationem quoque eorum, qui inferiora munera obituri sint, diaetae arbitrio commissam, rex confirmandi tantum exercet potestatem.

3. Admissio magnatum nobiliumque peregrinorum ad ordinum societatem.

4. Concessio privilegiatis urbibus peculiariter tribuenda, ut legatos in diaetam mittendi jure utantur.

5. Legumlatio. Exsecutoria potestas penes regem est, verum legislatoria ab eo conjunctim cum ordinibus possidetur. Decreta, quae a conventu publico edita fuerunt, sola vi legis sunt instructa. Faciendi autem, abrogandi atque interpretandi leges potestas ad regem atque ordines conjunctim pertinet neque regi licet, Hungariam, proprio marte edendis decretis scribendisve de jure aut publico aut civili epistolis, gubernare. Quinimo rex dicitur solummodo jus vetandi circa legum lationem habere. Ei vero omnis competit de publica juventutis institutione cura.

6. Tributorum ac subsidiorum pecuniariorum constitutio. Non fas est regi aut ab ordinibus aut ab iis populi classibus, quae tributis solvendis obnoxiae censeantur, subsidia petere, sive numeratam pecuniam sive telluris fruges sive conscriptiones militum, neque doni gratuiti titulo neque alio quocumque nomine, nisi impetrata diaetae auctoritate. Itaque cum penes regem jus sit belli faciendi pacisque ineundae, populi esse dicitur necessarias et imponere et redigere tributorum pensiones. Salis vero pretium, nisi veniam diaeta concesserit, extolli non licet, exceptis urgentis necessitatis casibus.

Sunt denique et alia diaetae auctoritati subjecta, exempli gratia nominatio ad varia civitatis munera, imprimis ad comitatuum magistratus gerendos, tum stipendiorum militibus regis praesidiariis tribuendorum ordinatio.

Tandem notandum est interdictam conventui publico haberi qualemcumque de haereditario gentis Austriacae in imperium jure deque nobilitatis a pendendis tributis immunitate disquisitionem.

§ 7.

De provinciis ab Hungaria pendentibus.

A) *De Dalmatiâ, Croatiâ, Sclavoniâ.*

Regiones istae administrandae commissae sunt concilio, quod proprium nomen habet Staatshalterei-Rath, cujus primarium officium lex in eo ponit, uti certiorem regem faciat, si quae jussa decretaque exsequenda ab illo acceperit, publicis Hungariae populorum juribus repugnare sibi videantur. Tributi tum Croatis tum iis, qui superioris Sclavoniae tres comitatus incolunt, solvendi aestimatio a diaetâ Hungarica semper definita sit oportet, verum sejunctim a vectigalium Hungaricorum constitutione.

Quod ad religionem attinet, omnes formulae sacrorum libere admittuntur in Sclavoniâ, verum habent soli Catholici jus toparchiarum emendarum munerumque publicorum gerendorum. Atque in Croatiâ cuncta sacra recepta perhibentur, ita tamen ut ab isto jure tam Protestantes quam Judaei exclusi habeantur. In Sclavoniâ munus archiepiscopi metropolitani Carlowitzensis, ecclesiae Orientali schismaticae in Hungariâ, Sclavoniâ atque Croatiâ praefecti soli competit civi Illyrico, ab episcopis ac legatis municipiorum in congressu publico electo ac solemniter a rege confirmato. A nullo iste archiepiscopus pendet patriarchâ aliove cujuscumque nominis magistratu ecclesiastico peregrino; jurisdictio vero illius res unice spirituales, quae dicuntur, complectitur. Itaque praesidet curiae appellationis, ad quam provocatur ab omnibus judicialibus sententiis, in episcopalibus consistoriis latis. In jure dicundo observanda ei sunt sta-

tuta canonum nec non leges ac privilegia civitatis universalia, imprimis autem decreta anno 1779 ordinatio. Denique archiepiscopus ille nec non episcopi munerum conferendorum ecclesiasticorum, quisque in dioeceseos suae parochiis, utuntur potestate. Quatuor sunt in Croatiâ classes incolarum, nobiles, urbani, rustici atque in finibus degentes milites.

B) *De Transsilvaniâ.*

Est Transsilvania magnus principatus, cujus imperium haereditario jure descendentibus ex utroque sexu tradendum esse dicitur. Incolae, si civile vinculum spectes, dividuntur in nationes praecipuas, quas scilicet agnoscunt Hungaricae leges publicae ac conventus ordinum, et nationes toleratas, quae, alia aliae opportunitate, inhabitandae regionis veniam obtinuerunt aut etiam ipsae temporum cursu in illa consederunt. Praecipuae nationes sunt Hungari, Szekleri et Saxones, vulgo tres nationes, proprio sensu, nuncupatae. Toleratae nationes haud secus atque praecipuae legum tutelâ utuntur, verum indigenarum privilegiis si velint adspirare, solemniter receptae fuerint oportet ab aliqua nationum praecipuarum, tamquam legitimi ordinum socii.

Ordines sunt in Transsilvaniâ tres, scilicet: nobiles, urbani, rustici. Omnibus summi imperii juribus Magnus Princeps Transsilvaniae fungitur. Hic ad nobilium classem promovet, privilegia concedit, bellum gerit pacemque facit, monetam cudi jubet, convocat atque dimittit ordines, episcopalia munera atque beneficia impertitur, vacantium sedium reditus percipit, nobilium denique sine prole defunctorum bona haereditario nomine sibi vindicat.

Ordinum est conjunctim cum Magno Principe leges

tum facere tum abrogare, tributa aut minuere aut exaugere, peregrinos civium Transsilvanensium juribus donare. In diaetà res ad civitatem pertinentes omnes, consultatione instituta, solent pertractari, praeside mandatario regio.

Concilium vicarium regium supremum est collegium moderando principatui praepositum. Praesidis munere Gubernator fungitur. Res pecuniariae collegio aerario administrando sunt attributae. Juris impertiendi provincia credita est Mensae Regiae, quae tum ipsa nonnullis in causis primum gradum jurisdictionis exercere solet, tum in aliis latas a minoribus tribunalibus sententias aut irritas declarare aut confirmare. Institutum quoque est proprium circa res mercatorias tribunal.

Leges quatuor vindicant sacrorum formulas, paribus inter se juribus instructas, Catholicam, Lutheranam, Reformatam et Socinianam. Religio vero Orientalis, quae dicitur, tum etiam Judaea tolerantur modo. Catholicis sacris episcopus, adjuncto capitulo, praeest. Reformata subsunt moderatori superiori (Superintendent) cujus auspiciis rerum ecclesiasticarum administrationem obeunt notarius universalis, consistorium ac selecti socii complures. Lutherana item gubernat moderator, synodalis, quem vocant, consessus praeses. Denique tertia sacra, Sociniana, tertius moderator administrat. Ab episcopo Orientalis cultus pendet celebratio. Judaeis duae attributae sunt pro sectis duabus synagogae.

CAPUT SECUNDUM.

DE RATIONE, CONSTITUTIONE, DESIGNATIONE ORDINUM PROVINCIALIUM IN REGNO BORUSSIAE.

Naturalis maxime hic videtur esse ordo, ut, postquam de regionibus Austriacae dominationi subjectis diximus, ad regnum Borussiae transeamus, quum, et amplitudine finium et potestate, proxime ad Austriam accedat Borussia, et praeterea ordinum ratio ac distributio in utraque terrâ antiquissimis nitantur juris publici institutis.

In hac regione universi populi per selectos mandatarios repraesentationem saepe expetitam solemnique adeo promissione ab ipso rege, jam anno 1815, praeparatam, non institutam esse, notum est omnibus. Cujus quidem dilationis causae tum aliae adlegari possunt, tum non minimae habendae videntur tumultus atque seditiones, multis in partibus Germaniae, ab anno inde 1830, subinde agitatae perversaque plurimorum studia, rerum conversionem efficere cupientium, quibus scilicet factum, ut timore capti Germaniae imperantes nonnulli, de popularium juribus amplificandis, his certe temporibus, cogitare minime auderent, quo vero commode sedarentur tumultus ac malevolorum et seditiosorum hominum petulantia refrenaretur, sic diligenter

operam navare cogerentur, ut, hac re procuranda, quominus fere quicquam aliud majoris momenti agitarent, impeditos sese viderent. Et in Borussiâ quidem nova exstitit perquam anceps difficilisque ad pertractandum quaestio lite illa notissima inter Regem atque ecclesiae Romanae principem, Papam Romanum, qua et inveteratae circa rem sacram contentiones novo ardore resuscitatae et tam multa tamque ardua negotia Borussicis imperantibus facessita, ut, hisce rite ac prudenter profligandis, per multorum spatium annorum mirifice fuerint districti. Qua tamen lite nunc, ut probabile videtur, ita composita, ut, concordiam mox plane restitutum iri, spes omnino suppeditet, haud absurda eorum est exspectatio censenda, qui, tempus prope adesse, quo ad Ordines universi regni instituendos accedi possit, insuper sperare audeant; praesertim cum nuper regia dignitate ejusmodi princeps decoratus sit, qui tum in ipso aetatis flore versetur, tum, multis jam eximie constituendis, quantopere civium salus ac verissima commoda curae sibi cordique sint, luculento testimonio demonstraverit [1].

---

[1] Saepius autem rex Borussiae pollicitus erat, curaturum sese, ut popularis repraesentatio institueretur. Jam anno 1810, Edicto diei Oct. 27, consilium suum aperuerat: »der Nation eine zweckmässig einge»richtete Repräsentation, sowohl in der Provinzen als für das Ganze »zu geben." Preuss. Gesetzsamml. 1810, p. 31. Quae declaratio repetita fuit in Edicto, 7. Sept. 1811, Gesetzsamml. ann. 1811, p. 262. Ab eodem inde die constituta est »eine interimistische National-Repräsentation" quae, diebus 5. Mart. et 17. Nov. 1813, instaurationem accepit. Gesetzsamml. 1811, p. 261. sq. 1813, p. 28 et 134. Secutum est Edictum Regium in Congressu Viennensi datum, de quo mox fusius agendum. (Pr. Gesetzs. 1815, p. 103). Contenta hoc edicto repraesentationis publicae ordinandae provincialiumque ordinum instituendorum promissio, quibusdam etiam decretis posterioribus repetita fuit.

Ordinum universalium in Borussiâ futurae constitutionis cum unum fundamentum provincialium sit comitiorum ratio, necessarium ad nostrum propositum habemus, ut, quae de horum institutione, variis deinceps legibus, cauta fuerunt, diligentius exponamus, quo tum ad jus eligendi, Borussicarum provinciarum civibus usurpatum, cognoscendum proficiamus, tum de placitis in coetus majoris compositione atque ordinatione recipiendis, probabiliter quaedam conjecturâ assequi liceat. Pertinent igitur ad nostrum argumentum leges atque edicta haecce:

A. Edictum Regium d. 22. m. Maji a. 1815, de populi repraesentatione condenda atque Ordinibus provincialibus instituendis;

B. Lex universalis de Ordinibus provincialibus constituendis, d. 5. m. Junii ann. 1823;

C. Leges singulae de Ordinum provincialium in singulis Borussiae provinciis compositione, videlicet:

a) de compositione Ordinum provincialium in mar-

(V. KLÜBER, Uebersicht der Diplom. Verhandl. des Wien. Congr. p. 223, sq.) In Epistolâ autem ad Capituli Merseburgensis Ordines, d. 27 Dec. 1816 missa, affirmavit HARDENBERGIUS Cancellarius: consilium popularis instituendae repraesentationis, tum provincialium ordinum, ut temporum ferret necessitas, componendorum, nunc jam jam perfectum iri. Allg. Zeit. ann. 1817. N. 56. Denique, anno 1820, Ordinatione d. 17. Jan. decretum, ut in posterum novi debiti publici adtributio (Staats-Darlehns) nonnisi consilio ac sub cautione futurae concionis publicae (reichsständischen Versammlung) usurparetur. Gesetzs. 1820, p. 10. Post multos arduosque labores, jam ante annum 1822 res executioni matura esse videbatur. V. Declar. Borussiae in Actis (Protocol) Concionis Foederatae d. 5. Febr. 1818. § 26 insecutumque Decretum, ibid. § 127. — Cf. omnino KLÜBER, Oeffentl. Recht. d. Teutsch. Bund. § 288, not. a, § 283, not. c et, qui ibi citantur, scriptores.

chionatu Brandenburgensi et margraviatu Lusaciae Inferioris, d. 1 Julii a. 1823;

b) de compositione Ordinum provincialium in regno Borussico, (antiqua vel propria Borussià, quae dicitur) ejusdem diei;

c) de compositione Ordinum provincialium in ducatu Pomeranensi et principatu Rugensi, ejusdem diei;

d) de compositione Ordinum provincialium in provinciis Rhenanis, diei 27 m. Martii anni 1824;

e) de compositione Ordinum provincialium in provinciâ Westphalensi, ejusdem diei;

f) de compositione Ordinum provincialium in magno ducatu Posniensi, ejusdem diei;

g) de compositione Ordinum provincialium in provinciâ Saxoniâ, ejusdem diei;

h) Ordinatio de iis, quae, secundum legem 24. Mart. 1824, circa provincialium Ordinum Posniensium compositionem, ulteriori erant pertractationi subjicienda, d. 15 m. Dec. 1830.

§ 1.

De decreto regio d. 22 *Maji anni* 1815.

Dedit hocce decretum rex FREDERICUS GULIELMUS, cum in Congressu Viennensi, Europaeorum principum de publico variarum civitatum statu particeps erat consultationum. Paullo autem ante, die scil. 30 m. Martii, de administranda re publica Borussica, ratione habita pristinae provinciarum conditionis, aliud magni omnino momenti edictum condiderat [1]. Ad quod nunc decretum respi-

---

[1] V. hujus gravissimi edicti pars praecipua apud DUFAU, DUVERGIER et GUADET, Collection des Constitutions, Chartes et Lois fondamentales, etc. T. II. p. 203, sq. in not.

ciens rex, civitatis quidem Borussicae historiâ doceri ait, salutarem libertatis civilis conditionem, tum justo ordini subnixae administrationis perennitatem ab ipsorum virtutibus imperantum assensuque iis a popularibus praestito, ad hunc usque diem ejusmodi repetiisse firmamentum, quod in tanta rerum institutionumque humanarum debilitate atque inconstantiâ vel ullo modo liceat sperare, verum enim vero, quo tum ipsum illud validius etiam reddatur firmamentum et fiduciae suae rex civibus clarum edat documentum, tum posteritati ea principia, ad quorum normam administratione rei publicae fungi, mos hucusque fuerit regibus Borussicis, de tuenda civium salute unice sollicitis, integra incolumiaque tradantur solemnique in scripturam relatione, tamquam Borussici regni jus publicum, perpetua conserventur, decrevisse sese [1]:

1) Ut popularis repraesentatio instituatur [2]; 2) ut hujusce consilii perficiendi gratiâ, Ordines provinciales tum, ubi vario cum jure etiamnum reperiantur, instaurentur temporumque rationibus accommodentur, tum, ubi non amplius adsint, constituantur [3]; 3) ut ex Ordinibus provincialibus Repraesentantium Concilii coetus eligatur, cujus sedes Berolini collocanda [4]; 4) ut illorum civitatis mandatariorum futurum sit de omnibus iis legiferae potestatis negotiis deliberare, quae ad civium personalia realiaque jura pertineant, inclusa tributorum exigendorum facultate [5]; 5) ut quam pri-

---

[1] Decret. 22 m. Maji 1815, prooem.
[2] Decret. 22 Maji 1815, § 1.
[3] Id. decret. § 2.
[4] Id. decret. § 3.
[5] Id. decret. § 4.

mum selectis magistratibus prudentissimis provinciarumque incolis Berolinum convocandis munus imponatur triplex Ordinum provincialium describendorum, repraesentationis publicae ordinandae, legis publicae propositis superstructae placitis elaborandae: hi autem selecti 1°. die m. Septembris congrediantur [1].

In fine decreti jubet rex, exsecutioni mandandum illud Cancellario Status commissum iri, cujus et futurum, quae a selectis viris proposita fuerint, regi adprobanda subjicere, eidem quoque selectorum nominationem incumbere praesidiumque in ipsorum consessibus occupandum [2].

Selecti illi hocce decreto indicati, praeside principe haereditario, Berolinum congressi sunt; ex illorum deliberationibus fluxit, die 5 Junii anni 1823, lex universalis de Provincialibus Ordinibus constituendis. V. Preuss. Gesetzsamml. 1823, N°. 13. Cautum vero ut in horum compositione et institutione veterum legum publicarum Germanicarum placita primaria servarentur [3], ad rei publicae proprietates necessitatemque temporis accommodata. Sed de illa lege, age, videamus.

§ 2.

De lege universali circa Provincialium Ordinum constitutionem, *d.* 5. *Jun.* 1823.

In prooemio iterum declarat rex, velle se civibus novum perpetuumque praebere amoris fiduciaeque testimonium: quapropter, ad antiqui juris publici Germanici

---

[1] Id. decr. § 5, 6 et 7. [2] Id. decr. § 8.
[3] Preuss. Staatszeit. 1823, N°. 93.

normam, Ordines provinciales instituí jubere: eorum autem, quae a selectis viris peritissimis subjecta sibi fuerant, ratione habita, hasce esse primarias tamquam leges recipiendas [1]:

I) Ut Ordines provinciales in regno Borussico instituantur [2]; II) ut agrorum dominium ad jus ordinum consequendum requiratur [3]; III) ut illis provincialibus ordinibus, tamquam legitimis patronis utantur civium Borussicorum in singulis provinciis variae classes; quapropter, ut legum specimina omnium, quae universam aliquam provinciam spectaturae sint, hujusce ordinibus subjiciantur [4], donec universales conventus coepti fuerint haberi; tum legum universalium earum specimina, quibus in jurium conditione, sive personalium, sive realium inque tributis et vectigalibus mutationes contineantur, quatenus ad provinciam pertineant, similiter Ordinibus submittantur [5]; porro preces et querelae de totius provinciae aut partis illius salute et commodis, ab Ordinibus provincialibus missae, a sese recipiantur et examinentur deque iis responsio a sese ad Ordines perferenda curetur [6]; denique municipales quaestiones (communalangelegenheiten) in singulis provinciis Ordinum decretis committantur, regia adprobatione confirmandis [7].

Adjunctum iri huic legi universali singulares de unaquaque provinciâ leges, quibus ordinum ratio, compositio aliaque huc pertinentia describenda sint, deinceps pronuntiatur, quibus legibus si in posterum mutationes utiliter

[1] Lex univ. de Ordd. Prov. Const. prooem.
[2] Ead. l. N°. I. [3] Ead. l. N°. II.
[4] Lex univ. de Ordd. Prov. Constit. N°. III, 1.
[5] Ead. l. N°. III, 2. [6] Ead. l. N°. III, 3.
[7] Ead. l. N°. IV, 4.

8

inferendae visae fuerint, eas nonnisi consultatione cum Ordinibus instituta, induci oportere [1]. Denique edicit rex, se, quando universalium Ordinum necessaria convocatio habenda, quoque tum modo illi ex provincialibus desumendi futuri sint, ulterius definiturum [2].

Transeundum nunc est ad legum de singularum provinciarum Ordinibus capita praecipua exponenda, in qua re sic versaturi sumus, ut ipsorum Ordinum in variis provinciis rationem simul describamus, quo, si quid discriminis quod ad hasce intercedat, manifestius etiam possit apparere.

§ 3.

De variis Ordinibus universe.

Non plane eadem est Ordinum in omnibus provinciis regni Borussici ratio: etenim tres habentur sociorum classes in Brandenburgiâ ac Lusaciâ inferiori, in Borussiâ proprie sic dicta, in Pomeraniâ, in Posniâ [3]: quatuor vero in provinciis Rhenanis, in Westphaliâ, in Saxoniâ [4]. In aliis scilicet deest ordo Nobilium immediatorum et Clericorum, in aliis conjunctus est cum minorum-Nobilium sive Equitatus ordine. In quibus vero provinciis separati illi habentur, quaternarius numerus efficitur: 1) Principibus illis, aut adjunctis quibusdam Clericorum Capitulis, aut non adjunctis: 2) Equitatus ordine: 3) Urbibus: 4) reliquis, praeter Nobiles, agrorum dominis. Rem, veluti

---

[1] Ead. lex, vers. fin. [2] Ead. lex, vers. fin.

[3] Lex de Brandenb. et Lusac. Inf. § 2, lex de Boruss. propr. sic dict. § 2, lex de Pomeran. § 2, lex de Posn. § 2.

[4] Lex de Prov. Rhen. § 2, de Westph. § 2, de Saxon. § 2.

sese habet in unaquaque provinciâ, accuratius dispiciamus.

Comprehendit provincia Brandenburgia et Lusacia Inferior tres hasce partes: Marcam Electoralem, Marcam Novam, Lusaciam Inferiorem [1]. Tres instituti sunt ordines, quorum singuli sic sunt compositi, ut 1us contineat: *a*) Capitulum Cathedralem Brandenburgensem, *b*) Comitem Solms-Baruthensem, *c*) Nobiles superioris ordinis Lusaciae Inferioris, *d*) Equitatus ordinem; 2us vero constet Urbibus; 3us denique reliquis agrorum dominis, colonis, rusticis. Pro singulis autem partibus hujusce provinciae hoc numero singuli ordines venire jubentur:

I. Pro Marcâ Electorali:

1) Primus ordo: *a*) Capitulus Brandenburgensis 1, *b*) Comes Solms-Baruthensis, 1, *c*) Equitatus, 20;

2) Secundus ordo, 14, 3) Tertius ordo, 8;

Pro Marcâ igitur Electorali, 44;

II. Pro Marcâ Nova:

1) Primus ordo, 6, secundus ordo, 4, tertius ordo, 2;

Pro Marcâ igitur Nova, 12;

III. Pro Lusaciâ Inferiori:

1) Primus ordo: *a*) Nobiles superiores, 1, *b*) Equitatus, 5;

2) Secundus ordo, 4, tertius ordo, 2;

Pro Lusaciâ igitur Inferiori, 12. Itaque veniunt pro universa hacce provinciâ socii ordinum 68.

Borussia proprie sic dicta pariter tribus partibus est composita: Borussiâ Orientali, Lithoniâ, Borussiâ Occidentali. Ordinum ibi haec est ratio, ut primus complectatur Equitatum, secundus Urbes, tertius li-

---

[1] Lex de Brandenb. § 1.

beros ac rusticos agrorum possessores (Kölmern und Freien und bauerliche Grundbesitzern). Numerus hac proportione est definitus:

I. Pro Borussiâ Orientali et Lithoniâ:

Primus ordo, 30, secundus ordo, 15, tertius ordo, 15;

Pro Borussiâ igitur Orientali et Lithoniâ, 60.

II. Pro Borussiâ Occidentali:

Primus ordo, 15, secundus 13, tertius, 7;

Pro Borussiâ igitur Occidentali, 35.

Igitur pro universa hacce provinciâ veniunt 95.

Pomeranensis provincia has habet partes: Pomeraniam Anteriorem Veterem, Pomeraniam Anteriorem Novam et Rugenam, Pomeraniam Posteriorem. Ordinum haec est ratio, ut primus complectatur Equitatum, in quo Putbusensi Principi certum jus adtributum; secundus, Urbes; tertius, reliquos agrorum dominos, colonos, rusticos. Numeri proportio haec observatur:

I. Pro Pomeraniâ Anteriori Vetere:

Primus ordo, 4, secundus, 4, tertius, 2, conjunctim, 10;

II. Pro Pomeraniâ Anteriori Nova:

Primus ordo, 4, secundus, 4, tertius, 2, conjunctim, 10;

III. Pro Pomeraniâ Posteriori:

Primus ordo, 16, secundus, 8, tertius, 4, conjunctim, 28;

Pro universa hac provinciâ, 48.

Rhenanae provinciae, in quibus magnus ducatus Rheni inferioris atque ducatus Clivensis, Gulicensis, Montanus [1], quatuor habet ordines sic compositos:

---

[1] Lex. de Rhen. Prov. § 1.

1) immediatos antea Nobiles, 2) Equitatum, 3) Urbes, 4) reliquos fundorum dominos[1]. Numerus in singulis ordinibus sic sese habet:

Primus ordo: Principes Wied-Neuwiedensis, Wied-Runkelensis, Solms-Hohensolms-Lichensis, Solms-Braunfelsensis, singuli singula habent suffragia, i. e. conjunctim, 4; secundus ordo, 25; tertius ordo, 25; quartus, 25; conjunctim pro universis ordinibus, 79 [2].

Westphaliensis provincia quatuor pariter habet ordines, eosdem scilicet atque Rhenanae provinciae, sic tamen ut urbes in censum tantum eae veniant, quae ad opificiorum repraesentationem accommodatae censeantur [3]. Primus ordo undecim complectitur nobiles immediatos, quorum singulis singula suffragia competunt; reliqui ordines singuli 20 socios habent; conjunctim veniunt pro hac provinciâ 71 socii [4].

Posniae tres adtributi sunt ordines, quorum primus constat: *a*) Principe Thurno-Taxensi, propter principatum Krotoszyn, *b*) Principe Sulkowskiensi, propter praedium fideicommissarium Reisense, *c*) Equitatu; secundus autem Urbibus; tertius denique reliquis praediorum dominis, rusticis possessoribus cum censu praediali (Erbzinsmännern) [5]. Numerorum haec est proportio:

I. Primus ordo: 1) dicti principes, singuli singula habentes suffragia; 2) Equitatus, 22; conjunctim primo ordini socii adtributi 24; II. secundus ordo, 16; tertius, 8; conjunctim universi ordines, 48 [6].

Saxonia provincia quatuor habet ordines, quorum pri-

---

[1] Ead. l. § 2.
[2] Ead. l. § 4.
[3] Lex de Westph. § 2.
[4] Lex ead. § 4.
[5] Lex de Posn. § 2.
[6] Lex ead. § 4.

mo continentur: Capituli Cathedralis Merseburgensis et Naumburgensis, tum tres comites Stolbergenses, denique ambactus Walternienburgensis possessor; secundo Equitatus; tertio Urbes; quarto denique possessores agrorum rusticique reliqui [1]. Numeri haec est proportio, ut primus ordo constet sociis 6, secundus 29, tertius 24, quartus denique 13; conjunctim omnes ordines habeant 72 socios [2].

Requiruntur autem, ut in aliquo ordinum jus societatis quis adipisci possit, quatuor haecce: primum, agrorum dominium, haereditatis nomine, in lineâ sive adscendente sive descendente acquisitum, aliove quocumque modo perceptum nec per integrum decennium interruptum. Ubi autem successionis jure ad aliquem delatum fuit, tempus illud, per quod defunctus possedit, cum eo, quo haeres tenuit, est computandum. Sed penes regem est a decennali possessione liberationem concedere, quae circa reliquas conditiones minime admittitur. 2°. Christianarum alicujus formularum confessio; 3°. tricesimus aetatis annus expletus; 4°. incolumis fama [3]. In Posniâ vero, propter peculiare, quo haec provincia cum universo regno conjuncta est, vinculum, insuper requiritur jus subditi Borussici, secundum pactum d. 3 m. Maji a. 1815 [4].

Suspensa est facultas delegationem suscipiendi, quoties de illius bonis, in quem collata est, creditorum institutus fuit concursus; tum etiam, quoties possessio, unde

---

[1] Lex de Saxon. § 2.
[2] Lex. ead. § 4.
[3] Singularum legum de Ordd. Prov. § 5, 6.
[4] Lex de Posn. § 5, N°. 5.

facultas ista profluit, non nisi tanquam socio contingit communitatis ejusmodi, quae personae moralis jus non habeat [1].

Qui in pluribus circulis ordinum societatis habet facultatem, in unoquoque horum eligi potest eique liberum est ipsi, cujus nomine circuli venturus sit, statuere [2].

Ordinum societate in pluribus provinciis fungi aliquis potest, dummodo sinat illud conventus habendi tempus [3]. Verum quicumque ordinum socius est electus, mandato illius juris exercitionem in alium conferre nequit [4]. Eliguntur autem ordinum socii in sexcennium, ea lege, ut, tertio quoque anno, uniuscujusque ordinis sociorum dimidia pars decedere teneatur, iterum tamen eligi possint decedentes. Singulis igitur trienniis instaurandis electionibus, primo institutorum ordinum tempore, quinam socii prima vice essent decessuri, sorte definitum fuit [5]. Caeterum unicuique electo legato vicarius adjungendus est [6].

---

[1] Lex de Brandenb. § 14, N°. 1; de Bor. § 13, N°. 1; de Pomeran. § 13, N°. 1; de Rhenan. prov. § 14, N°. 1; de Westph. § 14, a; de Posn. § 13, N°. 1; de Sax. § 14, N°. 1.

[2] Lex de Brand. § 15, de Bor. § 15, de Pomer. § 14, de Rhen. prov. § 15, de Westph. § 15, de Posn. § 14, de Sax. § 15.

[3] Lex de Brand. § 16, de Bor. § 16, de Pomer. § 15, de Rhen. pr. § 16, de Westph. § 16, de Posn. § 15, de Sax. § 16.

[4] Lex de Brand. § 17, de Bor. § 17, de Pom. § 16, de Rhen. pr. § 17, de Westph. § 17, de Posn. § 16, de Sax. § 17.

[5] Lex de Brand. § 23, 24; de Bor. § 23, 24; de Pom. § 22, 23; de Rh. pr. § 23, 24; de Westph. § 23, 24; de Posn. § 22, 23; de Sax. § 23, 24.

[6] Lex de Brand. § 25, de Bor. § 25, de Pom. § 24, de Rh. pr. § 25, de Westph. § 25, de Posn. § 24, de Sax. § 25.

§ 4.

De immediatis Nobilibus et Capitulis pontificiis.

Diximus jam horum rationem in variis provinciis discrepare. Quod enim ad immediatos nobiles attinet, in Brandenburgiâ, si excipias comitem Solms-Baruthensem in Marcâ-Electorali, sola Lusacia Inferior ex eorum classe ordinum socios habet iisque in primo ordine capitulus Brandenburgensis neque non equitatus adjunctus reperitur. Idem fere dicendum de Posniâ, ubi binis principibus, tum equitibus primus ordo est compositus. Desunt vero nobiles immediati in Borussiâ et in Pomerania; primum vero ordinem soli efficiunt in Rhenanis provinciis et in Westphaliâ, sicuti in Saxoniâ cum duobus capitulis clericis sibi adsociatis.

In legibus de provinciis Rhenanis ac de Westphaliâ cum non, ut in Brandenburgiâ, Posniâ, Saxoniâ, certis quibusdam memoratis nobilibus primi ordinis dignitas concessa, verum classi universae attributa fuerit, cautum reperimus, ut ferendi in primo ordine suffragii facultas possessori competat agri antehac jure immedietatis praediti, ad normam scilicet Regiae Instructionis, d. 30 Maji 1820, §§ 2 et 63: plures vero hujusce generis agri ab eodem domino occupati non ultra unius calculi potestatem conferant, neque divisione etiam jus suffragii possit amplificari: liberum tamen maneat regi, ampliorum praediorum, fideicommisso in eadem gente tralatitiorum possessores, calculi honore concedendo, ad primi ordinis jura dignitatemque provehere [1].

---

[1] Lex de Rhen. pr. § 7, de Westph. § 7.

In Ordinum conventibus cum reliqui omnes ordines atque classes per legatos a sese electos venire debeant[1], capituli Brandenburgensis, Merseburgensis, Naumburgensis, in procuratorem (Bevollmachtigten) ex suo collegio desumptum, considendi potestatem transferre tenentur[2]. Immediatorum vero nobilium hoc est privilegium, ut singuli conventus societate utantur, simulatque ad majorennitatem pervenerint, sic tamen ut, si sontica iis suppetat absentiae causa, considendi jus mandato possint transferre, sive in alium quem de gente sua, sive in socium ordinis equitatus[3]. Atque illa facultas Putbusensi in Pomeraniâ principi, licet equitibus adscripto, propter gentilicium tamen, quo gaudet majoratum, pariter competere dicitur, ei vero impedito procurator substituendus esse aliquis de selectis Pomeraniae Anterioris Novae ac Rugenae equitibus[4]. Ex Posniensi vero equitatu vicarium sibi designandi facultas principi Thurno-Taxensi perpetuo est concessa, cum eandem Sulkowskiensis nonnisi legitimam propter causam obtinere jubeatur[5]. Singularis denique ratio est ambactus Walternienburgensis in Saxoniâ, cujus cum possessione ducalis Anhalt-Dessaviensis utatur familia, numquam non ejus nomine in conventum venire debet ex equitatu procurator[6]. In lege de Brandenburgiâ cautum invenimus, ut, si in conventu ordinum provincialium quid fuerit decretum

---

[1] Lex de Brand. § 3, al. 2; de Bor. § 3, de Pomer. § 3, a; de Rhen. pr. § 3, al. 2; de Westph. § 3, al. 2; de Posn. § 3, al. 2; de Sax. § 3, al. 3.

[2] Lex de Brand. § 3, al. 1, de Sax. § 3, al. 3.

[3] Lex de Rhen. pr. § 3. al. 1; de Westph. § 3, al. 1; de Sax. § 3, al. 1.

[4] Lex de Pomeran. § 3, b.

[5] Lex de Posn. § 3, al. 1 et 2.

[6] Lex de Sax. § 3, al. 2.

circa illa, quae propria jura capituli Brandenburgensis, comitis Solms-Barutheusis atque Inferioris Lusaciae nobilium immediatorum respiciant, liber his manere debeat ad ipsum regem super iis quaestionibus recursus [1].

Notandum denique est, prodiisse, d. 15 m. Dec. a. 1830, Ordinationem de quibusdam, secundum legem 27 Mart. 1824, de Ordd. Prov. Posniensibus, ulteriori consultationi subjiciendis, qua, ipsis referentibus provincialibus ordinibus, tum alia cauta de equitatu, ordine urbano, rusticis, tum edictum, ut constituto a comite Athanasio Raczynskiensi majoratui idem in posterum jus in primo provinciali ordine adjunctum habeatur, ac quo principes Thurno-Taxensis et Sulkowskiensis lege frui jubeantur, ita tamen ut, si alii deinceps creati fuerint majoratus, dictus comes Athanasius tributam sibi facultatem cum istorum majoratuum possessoribus conjunctim sit exerciturus [2].

§ 5.

De ordine Equitatus.

In singulis provinciis conventus honori hicce ordo admovetur: in Brandenburgiâ, ac Posniâ, cum nobilibus immediatis concurrunt equites ad primum ordinem efficiendum, quem in Borussiâ et Pomeraniâ solis iis esse compositum apparet; in Rhenanis denique provinciis, in Westphaliâ atque Saxoniâ secundus habetur ordo equitatus.

In provinciis Brandenburgiâ, Pomeraniâ, Posniâ, Saxoniâ, ut possit quis socius in ordinem equitatus eligi,

---

[1] Lex de Brandenb. § 47, al. 4.

[2] Ordinat. 15 Dec. 1830, Art. 1.

simpliciter requiritur equestris praedii intra provinciam possessio, sive nobilis natus sit dominus, sive minus, facultate regi relicta, ut fideicommissariorum bonorum possessioni, qua conveniens duxerit ratione, certa jura adtribuat [1]. Constitutum tamen est in ordinatione supra memorata, qua quaedam juris ordinum in Posniâ capita accuratius sunt definita, ut eligi tamquam ordinis equitatus legati ii quoque possint, qui caeterum communibus conditionibus satisfacientes, bona possideant ejusmodi, quae in hypothecarum tabulas, apud tribunalia Posniense et Brombergense, fuerint relata, quorum proinde series paranda jubetur regisque confirmationi subjicienda; tum etiam, ut jus ordinum exstinctum, divisione bonorum facta, habeatur: *a*) iis agris, quae millena jugera pauciorave contineant, quoties deminuta eorum substantia fuerit; *b*) amplioribus agris, quoties ad minorem M jugeris spatium sint redacti, aut si, servata M jugerum amplitudine, soli ad culturam utilis extensio D jugeris angustior esse coeperit [2]. In hac praeterea ordinatione nominatim designatos invenias circulos XXII (landrätliche Kreisen) in quorum unoquoque equitatus singulos legatos constituendi jus habere dicitur [3]. Denique, circa bonorum soli possessionem praecipitur, ut successioni in lineâ descendenti, quod ad jus ordinum, pari loco habendae sint tum universi agri inter vivos donatio, a patre filii in gratiam instituta, tum, in classe equitatus, collateralis successio in bonum gentilicium et fideicommissarium, a communi stirpis auctore devolutum [4].

---

[1] Lex de Brand. § 7, de Pomer. § 7, de Posn. § 7, de Sax. § 7.
[2] Ord. de Posn. Artt. V, VI, VII. [3] Ord. ead. Art. II.
[4] Ord. ead. Art. XIX. Cf. lex de Posn. § 5, N°. 1 et § 7.

Idem valet de Borussiâ: attamen ea hujusce provinciae est ratio, ut equitatus ordini, praeter equites proprie sic dictos, aliud quoque adscriptum sit agrorum proprietariorum genus, Colmensium scilicet, in quibus, ut jure ordinum quis utatur, possidere eum necesse sit: *a*) terram colmensem, senis praediis culmensibus constantem agri vectigalis, qui non pago alicui additus sit pars, sed proprio suo complexu censeatur; *b*) alium ampliorem etiam agrum, eodem ac memoratus culmensis possessionis genere; quorum sub *a* et *b* indicatorum bonorum series (Matrikel) conficienda regiaeque adprobationi subjicienda jubetur [1]. Denique, in Rhenanis provinciis et Westphaliâ requiritur aut possessio, intra provinciam, praedii, ab equestri imperii ordine antehac occupati jurisve in provincialem veniendi conventum capacitatem largiti (eines früher reichsritterschaftlichen oder landtagsfähigen Guts) cujus nomine praediale tributum quotannis solvatur thalerorum septuaginta quinque: aut alius cujusdam agri majoris spatii dominium, regia auctoritate alterius ordinis juribus adnumerati. Caeterum hujus pariter ordinis bonorum series publice conscripta fuit [2].

Communia vero omnibus provinciis haec sunt placita: 1° ut agri equestris in alia provinciâ atque in qua jus ordinum quis sit exerciturus, possessione decennalis requisitae proprietatis suppleri possit defectus [3]: 2°. ut nequeant quicumque, in re aut ecclesiastica aut militari aut civili munus aliquod gerentes, agri equestris pos-

---

[1] Lex de Boruss. § 7.

[2] Lex de Rhen. pr. § 8, de Westph. § 8.

[3] Lex de Brand. § 8, de Boruss. § 8, de Pomer. § 8, de Rhen. pr. § 9, de Westph. § 9, de Posn. § 8, de Sax. § 8.

sessione, secundum legitimas conditiones, equitatus ordini fuerint adscripti, legati illius nomine designari, nisi eorum, quibus propter officium subjecti sint, auctoritatem impetraverint [1]: 3°. ut exstinctum jus delegationis accipiendae censeatur, quoties, divisione facta, bonum aliquod equestre necessarias conditiones integras praestare desierit [2]; quod placitum quo modo in Posnià ordinatione peculiari ulterius fuerit definitum, supra exposuimus.

§ 6.

De Ordine Urbano.

Ubivis in provinciis Borussicis, quod etiam sponte intelligitur, proprium ordinem urbani homines efficiunt: secundum scilicet in Brandenburgià, Borussià, Pomeranià, Posnià; tertium vero in Rhenanis, Westphalià, Saxonià. Diximus jam, proprium esse Westphaliae, ut, cum, ordinum enumeratione facienda, ubi de caeteris provinciis agatur, simpliciter memorentur urbes, in hac ea insuper conditio requiratur, ut opificiis repraesentandis accommodatae illae habeantur (aus den, zur Vertretung des bürgerlichen Gewerbes, geeigneten Städten).

Tamquam conditio ad jus legationis in ordine urbano obtinendum, universe praecipitur, ut praediali quis instructus sit possessione in illa urbe, cujus nomine venturus sit, ac, sive magistratum in ea gerat temporarium, sive opificio fungatur civili: hoc autem casu praediale do-

---

[1] Lex de Brand. § 9, de Boruss. § 9, de Pomer. § 9, de Rh. pr. § 10, de Westph. § 10, de Posn. § 9, de Sax. § 9.

[2] Lex de Brand. § 14, al. 2; de Bor. § 13, al. 2; de Pomer. § 13, al. 2; de Rhen. pr. § 14, al. 2; de Westph. § 14, b; de Posn. § 13, al. 2; de Sax. § 14, al. 2.

minium atque opificium conjunctim vario urbium momento convenienti censeantur aestimatione, ulterioribus singularum provinciarum ordinationibus unicuique urbi definienda [1]. In una vero Posniâ tale opificium requiri legimus, quod collegio sive magisterio cuidam necessario sit subjectum (welches eine Corporation, Innung oder Meisterschaft erheischt). Et in Rhenanis provinciis ac Westphaliâ, pro juncta dominii agrorum opificiique aestimatione, similiter ulterioribus ordinationibus ad uniuscujusque urbis modum definienda tributi cum praedialis tum opificialis pensio praescribitur. Ulteriorum vero ordinationum cum sola Posniensis praesto nobis sit, hujusce provinciae rationem, quod ad dictae aestimationis varium modum, solam exposituri sumus. Monemus autem, iisdem relictum ordinationibus fuisse, ut legatorum ex quovis ordine per certos districtus distributionem accurate constituerent, quod jam de equitatu Posniensi vidimus [2]. Itaque urbani legati Posnienses sedecim sic urbibus attributi fuerunt, ut ipsa Posnia urbs binorum designandorum jus adipisceretur: sex autem aliae urbes majores singulos singulae constituere inciperent: octonis denique reliquis designandis, minores urbes in octo districtus jungerentur, quorum singuli singulos possent eligere [3]. Quod vero aestimationem attinet praediorum opificiorumque in illis, quos ex opificiali hominum genere ordinum juribus admoveri liceat, quater mille est rixthalerorum

---

[1] Lex. de Brand. § 10, de Bor. § 10, de Pom. § 10, de Rh. pr. § 11, de Westph. § 11, de Posn. § 10, de Sax. § 10.

[2] Lex de Brand. § 4, de Bor. § 4, de Pom. § 4, de Rhen. pr. § 4, de Westph. § 4, de Posn. § 4, de Sax. § 4.

[3] Ordinatio 15 Dec. 1830, de Ordd. Prov. in Posniâ, Art. III.

pro iis urbibus, quae ipsae per se mandatariorum nominatione fungantur, pro reliquis vero, per districtus conjunctis, rixthalerorum mille quingentorum [1]. Caeterum notandum est, quod in hac Posniensi ordinatione statuitur, agriculturam, urbanis agris adhibitam, eodem, quo urbanum opificium, habendam esse loco; agrorum igitur possessores in territoriis urbes circumjacentibus (städtische Feldmark) ipsis urbanis aequiparari debere; urbanos denique possessores praediorum, ubi per decennium ad minimum tractaverint opificium urbanum, postea vero illud reliquerint, haud secus atque ipsos opificiarios, legationis accipiendae capaces haberi oportere [2].

§ 7.

De ordine possessorum agrorum non nobilium, rusticorum, etc.

Hic ordo, quartus in Rhenanis provinciis, Westphaliâ et Saxoniâ, in reliquis vero tertius, variis quoque appellationibus in variis provinciis designatus reperitur. In lege Brandenburgensi, in Pomeranensi, in Saxonicâ simpliciter sic circumscribitur: reliqui (id est, praeter eos, qui in prioribus ordinibus comprehenduntur) agrorum possessores, coloni et rustici (aus den übrigen Gutsbesitzern, Erbpächtern und Bauern); in Borussiâ vero, propter peculiarem in hac provinciâ juris circa solum conditionem, ita definitur: ad primum ordinem non pertinentes colmerenses ac liberi rusticique generis possessores (aus den, unter dem ersten Stände nicht be-

---

[1] Ead. ordin. Art. IX, al. 1.
[2] Ibid. al. 2.

griffenen, Kölmern und Freien, und aus den bauërlichen Grundbesitzern); in Rhenanis porro ac Westphalensi memoratos invenias: caeteros agrorum dominos, qui non sunt ordinum priorum; in Posniensi: reliquos agrorum possessores, soli proprietate instructos rusticos ac pensionem praedialem solventes (Erbzinsmännern); in ordinatione denique super eadem provinciâ ut plurimum hic ordo occurrit sub nomine communionum ruralium (Landgemeinden) [1]. Quotquot hujusce ordinis legati designari possint, rustici praedii dominio instructos esse oportet in eoque administrando praecipuas industriae suae vires collocatas habere (der Besitz eines, als Haubtgewerbe, selbst bewirthschafteten Landguts): cujusmodi amplitudo praedii, cum ulterioribus ordinationibus definienda relicta fuisset [2], Posniensi illa, jugeris Magdeburgensibus ad minimum LX aestimata est [3]. In Rhenanis tamen atque Westphaliâ, dominium rei soli aut plenum esse potest, aut utile tantum; tum clausula possidendi conditioni adjicitur, ut in ipso districtu electorio expleatur; denique amplitudinis in caeteris provinciis definiendae mensurae praedialis tributi modus substituitur, pariter ordinationibus constituendus [4].

Octo ex ordine quarto Posniensi provinciae mandatariis eligendis, iidem, qui minorum urbium conjunctionibus, destinati districtus fuerunt [5].

---

[1] Ead. ord. Artt. IV, XIII, XIV, XVI. Art. X, landliche Grundeigenthümer.

[2] Lex de Brandenb. § 11, lex de Bor. § 11, lex de Pomer. § 11.

[3] Ead. ord. Art. XIII.

[4] Lex de Brandenb. § 11, de Bor. § 11, de Pomer. § 11, de Rhen. pr. § 12, de Westph. § 12, de Posn. § 11, de Sax. § 11.

[5] Ordinat cit. Art. IV.

§ 8.

De Jure eligendi.

Regula universe recepta est, ut quae, communi omnibus provinciis placito, ad legationis facultatem suscipiendae requiruntur, eadem quoque alicui adesse oporteat, ut eligendi possit jure uti, hoc tamen discrimine, ut non tricennalis, sed viginti quatuor annorum, aetas in electore postuletur neque decennalis necessaria sit possessio sed plenum tantummodo dominium; in ordine denique rustico certa agrorum amplitudo aut plane non requiratur, veluti in Brandenburgiâ, Borussiâ, Pomeraniâ, Saxoniâ, aut certe minor, sicut in Rhenanis, Westphaliâ, Posniâ [1].

Ad electiones ordinis equestris quod attinet, dicendum, quae in ordinat. Posn. 15 Dec. 1830, de bonis equestribus in hypothecarum tabulas relatis, cauta memoraverimus, peraeque ea pertinere ad hujusce ordinis electores [2].

Haec quoque eligendi facultas cum legationis accipiendae jure habet communia: 1°. quod suspensa censetur, tum, concursu debitorum exorto, tum, eadem re a pluribus possessa nec moralem personam efficientibus [3]; 2°. quod ab iis, quibus in pluribus suppetit provinciis, in singulis hisce potest exerceri [4]; 3°. quod nequit

[1] Lex de Brand. § 12, al. 1; de Bor. § 12, al. 1; de Pomer. § 12, de Rhenan. pr. § 13, de Westph. § 13, de Posn. § 12, al. 1 et 3; de Sax. § 12, al. 1.

[2] Ordinat Posniens. 15 Dec. 1830, Art. V.

[3] Lex de Brand. § 14, N°. 1; de Bor. § 13, N°. 1: de Rh. pr. § 14, N°. 1; de Westph. § 14, a; de Posn. § 13, N°. 1; de Sax. § 14, N°. 1.

[4] Lex de Brand. § 15, de Bor. § 15, de Pom. § 14, de Rh. pr. § 15, de Westph. § 15, de Posn. § 14, de Sax. § 15.

mandato in alium ejus exercitio conferri [1], cujus tamen placiti una occurrit in lege Borussensi exceptio, qua cum provisum esset, ut minutorum quorumdam, imprimis in Masurià et Pomerelià, nobilium bonorum possessores, quorum conjunctione communitas (commune) exstitisset, a quibus autem honorifica nobilitatis jura (Ehrenrechte) nonnisi conjunctim exercerentur, eligendi pariter facultate conjunctim tantum functuri essent [2], permissum iis est, ut, eo consilio, unum de suo numero mandatarium in posterum constituerent [3]. 4°. Quod in ordine equitatus exstinguitur, quoties praedii equestris jus divisione sublatum est [4].

In ordine urbano specie magis quam re satis varium est eligendi legatos jus. In Brandenburgià, Borussià Saxonià iisdem attributum est, quibus magistratus urbanos designandi facultas competit [5], qua de re ad Ordinationem municipalem (Städteordnung) remittimus. Quandoquidem vero, tum in Lusacià Inferiori, tum in Saxonià quaedam urbes reperiuntur, quarum magistratus aut regis auctoritate aut ab aliquo toparchà (Domino) aut alio denique superioris ordinis magistratu nominari soleant, constitutum, ut in iis electione legatorum cives praediorum possessores fungerentur, servandis caeterum istis quoque in urbibus assequendae capacitatis conditionibus, tum universalibus, tum urbano ordini pro-

[1] Lex de Brand. § 18, de Bor. § 18, initio, de Pom. § 17, de Rhen. pr. § 18, de Westph. § 18, de Posn. § 17, de Sax. § 18.

[2] Lex de Boruss. § 14.

[3] Lex ead. § 18.

[4] Lex de Brand. § 14, N°. 2; de Bor. § 13, N°. 2; de Pom. § 13, N°. 2; de Rhen. pr. § 14, N°. 2; de Westph. § 14, b; de Posn. § 13, N°. 2; de Sax. § 14, N°. 2.

[5] Lex de Brand. § 12, al. 2; de Boruss. § 12, al. 2; de Sax. § 21, al. 2.

priis [1]. In lege Pomeranensi, de urbanorum electorum qualitate nihil expresse sancitum invenimus: ibi igitur recurrendum ad commune placitum, eadem iis adesse debere, quae futuris legatis sunt praescripta, exceptis triginta annorum aetate ac possessione decennali [2]. Idem valet in Rhenanis provinciis ac Westphaliâ, in quibus tamen, sicuti rusticorum classi, ita urbanis etiam hominibus minus ampla praediorum possessio ad jus eligendi obtinendum quam ad legationem suscipiendam injuncta fuit, ipsa pariter ulterioribus ordinationibus constituenda [3]. Caeterum expresse ibi jubentur cives juris eligendi capaces legatorum nominationem peragere [4], cui simile est, quod in Posniensi lege sancitum videmus, ut in oppidis electionis officium a civibus, rerum soli possessoribus, expleatur [5]. In omnibus vero provinciis admissa distinctio est urbium, quae eligendi juris propriam sibi habeant exercitionem (virilstimme) atque earum, quibus ea nonnisi conjunctim cum aliis, per districtus fuerit attributa. Ad quarum quasi classium utramque quaenam in unaquaque provinciâ urbes pertineant, cum ulterioribus ordinationibus definiendum fuerit relictum, de Posniensis decreti circa hanc rem placitis jam supra vidimus. Verum ea distinctio eo tantum nomine memoranda est, quia, quod ad jus quoque eligendi, duplicem rationem procreaverit. Cum enim urbium illarum, quibus singulis singuli legati sint constituendi, cives juris

---

[1] Lex de Brand. § 13, de Sax. § 13, coll. 1, de Brand. §§ 5 et 10, de Sax. § 5 et 10.

[2] Lex de Pomer. § 5, § 10, § 12.

[3] Lex de Rhen. pr. § 13, de Westph. § 13.

[4] Lex de Rh. pr. § 20, coll. § 13, de Westph. § 20, coll. § 13.

[5] Lex de Posn. § 12, al. 2.

suffragii participes ipsi mandatarios designare soleant, in conjunctim eligentibus eadem nominatio nonnisi per interpositos electores peragi jubetur, nullo caeterum habito discrimine, sintne immediatae, quam vocant, urbes, an vero mediatae. Isti autem electores, eo numero designati, quem urbium amplitudini convenienter ulteriores ordinationes praescripserint, in singulis districtibus congrediuntur, legatos altera electione nominaturi [1]. Atque hic miramur, quod in una lege Posniensi reperimus, ulteriori ordinationi, praeter numeri electorum atque modi electionis definitionem, immobilium quoque possessionis mensuram describendam attribui, in electoribus postulandam [2]: cum vel in nullis, praeter Rhenanam et Westphalicam, legibus expresse statutum legamus, ut minus ampla possessio in electoribus urbium quam in ipsarum legatis requiratur [3], quale discrimen inter jus legationis atque eligendi facultatem, infimi ordinis respectu, ubivis memoratum est [4]. Sed haec si formam legum spectent, ad ipsum argumentum minime pertinent, cum certum sit, illis, qui urbium nomine electionibus functuri sint, dominii modum praedialis longe minorem quam ipsis earum in ordinum coetu mandatariis fuisse praescriptum. Jubet igitur saepe citata ordinatio Posniensis, quod attinet ad electiones urbium per se legatos constituentium, ut, donec de

---

[1] Lex de Brand. § 20, de Bor. § 20, de Pomeran. § 19, de Rh. pr. § 20, de Westph. § 20, de Posn. § 19, de Sax. § 20.

[2] Lex Posniens. § 19, al. 2.

[3] Lex Rh. pr. § 13, de Westph. § 13,

[4] Lex de Brand. § 12, al. 1, de Bor. § 12, al. 1; de Pomer. § 12, de Rh. pr. § 13, de Westph. § 13, de Posn. § 13, al. 3; de Sax. § 12, al. 1.

municipali istarum conditione aliter fuerit sancitum, ratio, quam in prima factitanda electione cives inierint, pariter deinceps observetur; in iis vero urbibus, quae conjunctim jure suffragii utantur, de centenis, quinquagenis focis a Christianis hominibus occupatis, (feuerstellen) singuli electores designentur, quos, ut capaces habeantur, praediali locupletes esse oporteat possessione pretii rixthal. ad minimum CCC [1].

Infimus in provinciis Borussicis ordo delegatis suis constituendis triplici fungi solet electione, sola excepta Posniâ, ubi duplex tantum lege commemoratur nominandi gradus. Itaque prima electio in Brandenburgiâ, Borussiâ, Pomeraniâ, Saxoniâ, singulis designandis electoribus, a singulis pagorum communitatibus (Dorfgemeinde) perficitur, ritu aliis quoque in negotiis paganis usurpari solito; qui electores cum possessoribus ex eodem ordine bonorum separatim sitorum neque ad paganam aliquam communitatem pertinentium, ipsis tamen suscipiendae legationis utentibus facultate, per districtus congregati, in singulis hisce singulos districtuum electores constituunt, a quibus tandem conjunctis, tertia suffragiorum latione, mandatarii seliguntur [2]. Atque hic quoque districtuum compositio posterioribus ordinationibus definienda relicta est [3]. In Rhenanis vero provinciis et Westphaliâ ad eamdem res normam peragitur, nisi quod pro communitatibus pagorum simpliciter memorantur agrorum possessores eligendi juris habentes capacitatem hique officio illo functuri dicuntur, per

[1] Ordinat. Pos. 15 Dec. 1830, Art. VIII.

[2] Lex de Brand. § 21, de Bor. § 21, de Pomer. § 20, de Sax. § 21.

[3] Lex de Brand. § 22, de Bor. § 22, de Pomer. § 21, de Rh. pr. § 22, de Westph. § 22, de Posn. § 21, de Sax. § 22.

circulos accuratius deinceps circumscribendos distributi [1].

In Posniâ singuli circuli (landrätliche Kreisen, quorum scilicet ratio longe differt a circulis electoriis reliquarum provinciarum), secundum ordinationem 15 Dec. 1830 [2], in trinos divisi sunt districtus, in quibus singulis rusticorum praediorum cum jure eligendi possessores singulos electores districtuum constituunt, alteram suffragiorum lationem seligendis delegatis conjunctim inituros [3]. Cum vero praedialis possessionis modus, ut jam observavimus, minor in hujusce ordinis electoribus quam in legatis unaquaque in provinciâ requiratur, ordinatione Posniensi cautum est, ut tum rustici agrorum possessores districtuum electores nominaturi, tum hi ipsi praedii rustici dominio essent instructi jugerum Magdeburgensium ad minimum XXX [4].

§ 9.

De ordine et ratione eligendi.

In provinciis Brandenburgiâ, Borussiâ, Pomeraniâ, Saxoniâ cum et olim viguisset et partim quoque pergeret vetus conventuum circularium (Kreisständische Versammlungen) habendorum mos, de hisce aut servandis aut restaurandis aut denique in iis provinciis, ubi celebrati non fuissent, introducendis, nova autem formâ, quantum universorum ordinum postulaturus esset congressus, afficiendis, in singularum de Ordd. Prov. legum

[1] Lex de Rh. pr. § 22, de Westph. § 22.
[2] Ordinat. Posniens. 15 Dec. 1830, Art. XII.
[3] Lex Posniens. § 20.
[4] Ordinat. cit. artt. X et XI.

exitu constitutum reperias, injuncto primis habendis ordinum provincialium concionibus officio illa de re ad ipsum regem proponendi [1]. Quocum cohaeret quod in provinciis Brandenburgiâ atque Borussiâ, equitatus ordinis electionibus obeundis, circulares dies ad pristinam fere consuetudinem destinandi statuuntur [2], ita quidem, ut in Borussiâ, propter nonnullorum veterum circulorum amplitudinem, pluribus simul, in iis, locis, electionibus fungendum esse pronuntietur, more in Lithoniâ jam antea usurpato; in Rhenanis vero, Westphaliâ, Posniâ, Saxoniâ, eo consilio, districtus electorii describendi jubeantur [3], cujus etiam rei cura cum ulterioribus decretis reservata fuisset, quid in illa praestiterit Posniensis illa ordinatio, supra jam animadvertimus. In legis autem Saxonicae de hisce districtibus placito hoc occurrit peculiare, quod dicuntur universae in eodem districtu comprehensae regionis partes antiquiores (ältere Landestheile) aequabili jure legatorum eligendorum participes esse debere.

De ultimi ordinis districtibus, tum minoribus quoque electionum faciendarum gratiâ divisionibus modo vidimus. Conveniunt autem, secundum ordinationem Posniensem, hi rusticorum hominum districtus cum districtibus urbium conjunctim suos legatos designantium [4]. Quae igitur singulae urbes in singulis districtibus, conjunctim eligentium urbium electionibus peragendis a

---

[1] Lex de Brand. § 58, de Bor. § 58, de Pomer. § 57, de Rhen. pr. § 58, de Westph. § 58, de Posn. § 56, de Sax. § 58.

[2] Lex de Brand. § 19, de Bor. § 19, de Pomer. § 18.

[3] Lex de Rh pr. § 19 et 22, de Westph. § 19 et 22, de Posn. § 18, de Sax. § 19.

[4] Ordinat. 15 Dec. 1830, Art. IV.

Commissario Conventus (Landtags-Commissarius) destinatae fuerint, in mediis, quantum fieri possit, districtibus sitae, tum ad quas iter sit commodissimum et in quibus eligentium habendis conventibus loci satis idonei reperiantur: eaedem, ultimi etiam ordinis electorum celebrandis comitiis inservire debent [1].

In unaquaque singulorum tum ordinum tum graduum electione facienda, quoties par numerus suffragiorum diversis sententiis obtigerit, maximi natu eligentium praevalere sententia jubetur [2].

Subjectae omnes sunt electiones Consiliarii, in cujus circulo factitantur, auctoritati. Hic, tum electorum districtuum, tum legatorum designationi praeses, sive ipse sive per constitutum a sese vicarium, adesse tenetur. In urbibus vero atque pagis ipsi municipales magistratus electiones moderantur, cui rei consentaneum est quod in lege de Saxoniâ cautum invenimus, constitutos in comitatibus Wernigerodensi, Stolbergensi, Rosslaensi magistratus universae in iis rei electoriae administratione fungi solere [3].

Peracta inferioris gradus electorum (Wähler) designatio cum Consiliario est communicanda, districtuum vero electorum, sicuti etiam delegatorum, cum Commissario Conventus, adjungenda quoque tempore peractarum electionum publice facta relatione, (Wahlprotocolle). Commissarii autem est explorare utrum legitima forma requisitaeque legatorum proprietates rite fuerint obser-

---

[1] Ead. Ordinat. Art. XIV.

[2] Lex de Brand. § 26, de Boruss. § 26, de Pomer. § 25, de Rhen. pr. § 26, de Westph. § 26, de Posn. § 25, de Sax. § 26.

[3] Lex de Brand. § 27, de Bor. § 27, de Pomer. § 26, de Rh. pr. § 27, de Westph. § 27, de Posn. § 26, de Sax. § 27.

vatae, qua parte si peccatum fuisse deprehenderit, sic tantum instaurandas esse electiones licet ei decernere [1]. Est vero ille commissarius is magistratus, qui, regem inter et conventus provinciales interpositus (die Mittelsperson aller Verhandlungen) ad jussum regis, quae hic ordinum deliberationi proponenda existimet, iis subjicere atque invicem factas ab ipsis declarationes, latarum sententiarum expositiones, caeteras denique propositiones, querelas, supplicationes accipere adque regem perferre teneatur [2]. Ejusdem est, quoties iniri conventus debet, ordinum legatos idoneo tempore convocare, ipsis autem concionibus, post sacra solemniter peracta, auspicari, tum quoque finem iis imponere, rerum porro ab ordinibus gestarum perscriptam commemorationem regi tradendam curare, conventus recessum, qui dicitur (Landtagsabschied) inde cum ordinibus communicandum, ad publicam notitiam perferre. Ipsis haud interest consultationibus, verum libertas ei suppetit rogandi ut audiantur quaecumque concioni adnuntianda habeat neque non selectos ordinum socios ad sese arcessendi aut missos ab ordinibus recipiendi. Si quid est, quo, rerum suarum rite pertractandarum gratiâ, indigere sibi ordines videantur, hoc ut secum communicetur, ab eo solo magistratu petere iis permittitur [3].

---

[1] Lex de Brand. § 28, de Bor. § 28, de Pomer. § 27, de Rh. pr. § 28, de Westph. § 28, de Posn. § 27, de Sax. § 28.

[2] Lex de Brand. § 35, de Boruss. § 35, de Pomer. § 34, de Rh. pr. § 35, de Westph. § 35, de Posn. § 34, de Sax. § 35.

[3] Lex de Brand. §§ 32, 34, 36, 37, de Bor. §§ 32, 34, 36, 37, de Pomer. §§ 31, 33, 35, 36, de Rhen. pr. §§ 32, 34, 36, 37, de Westph. §§ 32, 34, 36, 37, de Posn. §§ 31, 33, 35, 36, de Sax. §§ 32, 34, 36, 37.

Diximus supra (in fine § 3) unicuique electo legato vicarium adjungendum esse. Hoc vero singularum de ordinibus legum placitum sic emendavit ordinatio Posniensis d. 15 Dec. 1830, ut, quo provinciales conventus, quantum fieri liceret, justa semper sociorum multitudine frequentarentur, unicuique legato binos sublegendos vicarios constitueret, quorum priorem advocandum esse eum, qui pluribus fuisset calculis designatus; quodsi vero contigisset, ut aliquis legatus, ab inito inde conventu ad proxime secutae dierum hebdomadis finem, quominus consessui adesset, prohiberetur, advocatum vicarium per omne habendae concionis tempus societatis in ea participem fore, ipso legato prioris vicarii locum occupaturo [1].

Reliquum est, ut moneamus, eadem ordinatione cautum fuisse, ut legati equitatus, urbium, rusticorum, pro singulis conventus provincialis diebus, trinos, stipendii nomine, thaleros acciperent; pro singulis vero veniendi ac redeundi milliaribus, tamquam viaticum, unum thalerum ac grossas argenteas viginti [2]; praeterea, ut singulis electoriis districtibus singulisque ordinibus incumberet, pensionem legatis, quos ipsi designavissent, attribuendam, conferre; ut igitur in unoquoque districtu sumtus equitibus ferendi, inter hujusce ordinis praedia, ad rationem tributi praedialis sive *ofiarae*, distribuerentur; urbes autem per se legatos eligentes, quaecumque sibi hac ex lege obtigissent, aliorum instar municipalium expensorum compensarent; conjunctim vero jus eligendi exercentes districtui suo

---

[1] Ordinat. Posn. 15 Dec. 1830, art. XV.
[2] Ead. ord. art. XVI.

isto nomine imposita pensione, pro civium, quos continerent, multitudine, onerarentur, designatam sibi portionem singulae peraeque ad aliarum necessitatum rationem suppleturae; denique ad infimum ordinem pertinentes impensae ab universis cujusque districtus incolis praeter equites ac homines urbanos, ad modum tributi classiarii (Classensteuer) tolerarentur [1].

Circa ipsorum conventuum sumptus simul constitutum est, ut inter universos concionis socios aequabiliter distribuerentur, ita quidem ut unicuique legato adtributa portio ab ordine ac districtu illo, unde is selectus esset, haud alia atque stipendium et viaticum ratione penderetur [2].

---

[1] Ead. ord. art XVII. [2] Ead. ord. art. XVIII.

CAPUT TERTIUM.

DE ELECTIONE MANDATARIORUM POPULI IN REGNO BAVARIAE.

§ 1.

De Bavariae conditione politica ante legem publicam anni 1818.

Inter eas Germaniae regiones, quibus, propter jurium tum varietatem tum amplitudinem, florentissimum olim contigerit provincialium ordinum institutum, primarium locum Bavariam sibi vindicare, supra jam animadvertimus [1]. Qua pristina sua auctoritate, quum jam longo abhinc tempore nonnisi nomine amplius Bavarici ordines uterentur [2], accidit hujusce saeculi initio series illa rerum eventuumque gravissimorum, qua, uti Germaniae universae, sic Bavariae quoque penitus immutata est conditio politica. Etenim, solutis, quibus erga Imperium ab antiqua inde aetate subjectae fuerant

[1] Cf. RUDHART, Die Geschichte der Landstände in Baiern, II Vol. Ed. alt. Munch. 1819; SCHMELZING, Staatsrecht des Königreichs Baiern, V. II, Append. p. 429, 430.

[2] Idem, l. l. V. II, p. 297; EICHHORN, Deutsche Staats- u. Rechtsgesch. V. IV, § 580.

singulae res publicae, obligationibus, disrupto igitur, quod ex communi hac officiorum praestatione eas omnes invicem conjunxerat, vinculo, quo major inde Germaniam universam opprimebat infirmitas, eo NAPOLEONTI, Francorum Imperatori vires et audacia inque omnem rem Germanicam insolentius arbitrium crescebat. Namque iste ditioni suae jam alias provincias subjecerat, de aliarum rebus sic libere decreverat, ut, praeter illum, a nemine pendere viderentur, quo autem inter omnes jurgia ac discordias excitaret aque communi salute defendenda eas absterreret, nullum intentatum reliquerat consilium. Mox tamen cum imprimis eo spectaret, ut minoribus in suas partes trahendis civitatibus, majorum ad nihilum omnem redigeret efficaciam, compluribus Germaniae principibus, quos propter imminens periculum propriarum rerum unice tangebat studium, persuadere facile potuit, ut, relicta vetere cum Imperii necessitudine, novam, ipso duce atque patrono, consociationem instituerent, quae cum stabiliendae pacis amicitiae firmandae auxiliique mutuo impertiendi prae se ferret consilium, specie quidem Germanicarum nationum commodis utilissima videbatur, reapse ad illius exaugendam potestatem, cujus tum nutu omnia regerentur, unice erat composita. Atque illius Rhenanae confoederationis, civitatis, cui praeerat, amplitudine, praecipuus in Germanià socius princeps exstitit Bavariae [1], insigne decus nuper eo adeptus, quod, Presburgensis pacis decreto, antiquum Electoris nomen cum dignitate regia commutavisset [2]. Hic bene merendi de civibus studiosus,

[1] Act. Confoed. Rhenan. d. 12 Julii 1806, prooem. et Art. 1; Constitut. 1 Maji 1808, Tit. I, § 1.

[2] Decret. Pacis Presburg. 24 Dec. 1805, Art. 7.

multa in re publica instituit ejusmodi, quae ad promovendam populi felicitatem, quantum quidem fieri his temporibus posset, perquam salubria fore, suspicari omnino liceret. Imprimis, cum Bavarica civitas ingenti partium cerneretur multitudine, quibus fere singulis sua jura suaque privilegia suppeterent, illud egit rex, ut, decernenda, quae commune jus totius Bavariae complecteretur, lege publica, ad unam maxime eamdemque speciem tot illas varietates reduceret [1]. Qua igitur lege abrogata vetus fuit ordinum constitutio omnibusque sublatis, quae singularum provinciarum fuerant, privilegiis, haereditariis muneribus, ordinum corporationibus, sancitum, ut unus instituendus esset consessus, cujus socii ad partem rei publicae universorum nomine civium gerendam aequabili prorsus ritu admitterentur [2]. In cujus proinde concilii societatem nobiles atque pontificii nullo venturi dicuntur proprio ordinis sui jure, sed ratione tantummodo

---

[1] Edita haec fuit lex publica d. 1 Maji 1808. Quod diximus consilium sic expressit ipse rex in prooemio: »Von der Ueberzeugung geleitet, dass der Staat, so lange er ein blosses Aggregat verschiedenartiger Bestandtheile bleibt, wieder zur Erreichung der vollen Gesammtkraft, die in seinen Mitteln liegt, gelangen, noch den einzeln Gliedern desselben alle Vortheile der bürgerlichen Vereinigung, in den Maasse, wie es diese bezweckt, gewähren kann u. s. w." Descripta haecce lex reperitur in opere: Die Constitutionen der Europische Staaten seit den letzten 25 Jahren, Lips. 1817, V. II, p. 132, sqq. apud PÖLITZIUM, Die Europaïschen Verfassungen seit d. Jahre 1789, bis auf die neueste Zeit (Lips. 1832) V. I, P. I, p. 96—100. Praecipua capita enarrantur in libro: Collection des Constitutions, Chartes et Lois fondamentales des peuples de l'Europe et des deux Amériques, auctoribus DUFAU, DUVERGIER et GUADET (Par. 1823) T. II, p. 228—231.

[2] Constit. 1 Maj. 1808, Tit. I, § 2, coll. Tit. IV. Quaecumque in variis provinciis etiamnum habebantur ordinum aeraria sublata jam fuerant ordinatione regia d. 8 Jun. 1807.

fundorum, quae dominii titulo ab iis teneantur neque etiam in caeteris iidem, sive immunitatis nomine, sive privilegii, potiori quam reliquae hominum classes usuri esse conditione [1]. Quae si quis reputat simulque meminerit alia insuper haud pauca recepta hacce lege fuisse, quae ad tuendam civium libertatem eximie viderentur pertinere, qualia dicimus feudalis abrogationem servitutis [2], honorum magistratuumque gerendorum idem jus omnibus concessum, aequabiliter onera publica distributa [3], sacrorum profitendorum scriptorumque edendorum promissam libertatem [4]: hunc in eam facile inclinare sententiam putamus, dignam imprimis hanc legem publicam fuisse, quae summis laudibus exornaretur. Modo idem ne obliviscatur eamdem, haud secus atque Westphalicam illam, ad cujus maxime exemplum efformata fuerit multasque alias istius temporis, quae Napoleontei ingenii impressam sibi tulerint effigiem, juribus commodisque popularium vindicandis reapse longe minus prospexisse quam hujusce assequendi propositi uno se duci studio auctores fidenter praedicaverint. Quod ubi dicimus, tum alia multa in testimonium vocare possimus, tum hoc praesertim spectamus, quod vel ipsa illa repraesentatio populi, cujus in summum libertatis praesidium promissa fuisset institutio, fontem in hacce lege sic parum habuerit popularem ut partim in ipsius esset regis arbitrio, partim a paucis penderet civibus divitiarum amplitudine conspicuis, quibus hanc solam ob caussam insigne illud privilegium per omnem vitam concedendum juberetur. Etenim quum, antiqua divisione

---

[1] Ead. Constitut. Tit. I, §§ 5, 6.
[2] Ibid. § 3. [3] Ibid. § 5. [4] Ibid. § 7.

sublata, decretum fuisset, ut in circulos aequali, quantum fieri posset, spatio totus ager Bavaricus dispesceretur [1], hancce distributionem, uti aliarum rerum, sic rationis etiam, quam in seligendis mandatariis inituri essent, velut fundamentum reddiderunt, concione unoquoque in circulo instituenda, cujus foret totius rei publicae comitiorum socios designare. Quorum circularium conventuum quinam quoque tempore participes futuri essent uni regi relictum est constituere; at deligendi facultas ex illis tantum ei permissa quadringentis in unoquoque circulo civibus, qui plurimum tributi, immobilium, quae tenerent, nomine, persolverent atque aut agrorum essent possessione conspicui aut mercaturae incumberent aut in rerum denique fabricatione industriam collocavissent, e quibus igitur conventus, quoad viverent, totidem semper usuri erant societate, quot circulo illo millia continerentur incolarum [2]. Qui velut perpetui electores e ducenis illis, quorum in classibus modo memoratis maximae circa praediale vectigal partes habeantur, sexto quoque anno, septenos in singulis circulis selecturi mandatarios dicuntur, quibus congredientibus, sic universi regni exstitura comitia [3]. His semel ad minimum quotannis ad regiam convocationem celebrandis et auspicari penes regem erat et finem imponere eademque praeterea et prorogare, si sic visum fuisset, et dissolvere ei licebat [4]. Nec quasnam partes hi delegati in rei publicae administratione obituri essent accurate definitum fuit [5], nec dicendi ampla iis concessa libertas [6].

---

[1] Ibid. § 4.

[2] Ibid. T. III, § 4.

[3] Ibid. T. IV, §§ 1, 3.

[4] Ibid. T. IV, § 4.

[5] Ibid. T. IV, § 6.

[6] Ibid. T. IV, § 7. Caeterum multos haec lex publica et laudatores

Supplendae autem huic legi publicae, quae vigere quinque post mensibus inceptura erat[1], complura interim de variis juris publici argumentis promulgata fuerunt edicta[2]. At quo minus umquam ad hujusce legis normam Bavarica civitas temperaretur, novae, quae deinceps per Germaniam exstiterunt, turbae ac bellorum difficultates necessario prohibuerunt[3]. Mox, labente imperio NAPOLEONTIS, a Rhenana rex Confoederatione recessit ac, pacto cum Austriae imperatore inito, vires suas NAPOLEONTIS adversariis adsociavit. Post, in Congressu Viennensi novo foederi Germanico ipse quoque adstipulatus, Ordinum ex praecepto Art. 13, Act. Conf. d. 8 Junii 1815 efformandae constitutionis inde in se suscepit officium. Quas autem per Francos acquisiverat Borussicas regiones, Anspachiam atque Bayreuthiam, eas Vienniensis Congressus auctoritate retinuit, verum, anno jam 1814, Tyroliâ, Vorarlbergiâque Austriaco imperatori cedere sese vidit coactum, acceptis permutationis titulo Wurzburgio et Afschaffenburgio. Deinde, altero post anno, terrarum iterum mutavit possessio-

---

nacta est et reprehensores. In illis nominandus est VON HAZZI in libro: Ueber die Standpuncte der Bayrischen Verfassungsurkunde von 1818, in Beziehung andrer Constitutionen, Münch. 1819: in illis BRENDEL, in: der Geschichte, das Wesen u. der Werth der National-Repräsentation, V. I, p. 257, sqq. Cf. etiam SCHMELZING, Staatsr. d. Königr. Baiern, V. I, § 2.

[1] Vid. verba regis Bavarici ad calcem Const. 1 Maj. 1808.

[2] Fuerunt haec: Edictum de ordinando concilio privato, d. 4 Jun. 1808; de nobilitate, d. 28 Jul. 1808; de juribus ad agrorum dominium pertinentibus, ejusdem diei; de abroganda feudali servitute, d. 28 Aug. 1808; de jurisdictione patrimoniali, d. 3 Sept. 1808. Vid. Europ. Constitut. etc. V. II, p. 142—183; PÖLITZ, op. cit. V. I, P. I, p. 100—129.

[3] SCHMELZING, op. l. ibid.

nem, pro transrhenanis quibusdam tractibus Salzburgiae potiori parte aliisque locis Austriae concedendis. Denique, cum anno 1818 expetitum Palatinatum Rhenanum a Badensibus frustra conatus fuisset impetrare, decreverunt, facta congressione, principes Germanici, ut alienatarum in gratiam regionum, commoda quaedam Bavariae regi tum a duce Badensi tum ab Austriae imperatore attribuerentur [1]. Quod vero civitatis administrationem attinet, illud rex imprimis egit diligentissime, ut, quantum in se esset, rei publicae conditionem emendaret, iis maxime ordinandis, quibus aptissime praeparari, quam mox instituturus esset, lex publica videretur. Quorsum scilicet edicta pertinuerunt, anni 1817 m. Februario decreta, quibus tum administrationis in quinque partes descriptus fuit ambitus, tum in octo circulos universus ager Bavaricus distributus, instituendo in singulis concilio, quocum de ferendis legibus redigendisque tributis peragi consultatio deberet [2]. Ejusdem autem anni mense Julio,

---

[1] Eichhorn, op. l. § 611; schmelzing, op. l. V. I, § 11, not. 2.

[2] Schmelzing, op. l. V. I, § 2, p. 4, coll. V. II, § 4. Quorum octo circulorum haec sunt nomina: 1) Circulus Isarensis (Isarkreis) quadrata milliaria continens 281; exeunte anno 1840, tum incolis frequentatus 489,090, tum vectigalium pensione census flor. 3,126,916. Primaria hujusce circuli urbs, eadem totius regni caput, Muncha habetur. Aliud ibi satis nobile oppidum floret Landishutum. 2) Circulus Donavii Superioris (Ober-Donaukreis) milliaribus quadratis 168, incolis 487,950, vectigalium pensione fl. 2,611,207, urbem habens primariam Kemptenam, alias Augsburgium, Lindavium, Memmingam, Neoburgium. 3) Circulus Donavii Inferioris (Unter-Donaukreis) milliaribus 141, incolis 364,070, vectigalium pensione fl. 1.900,075, praecipuam urbem habens Passavium, alterius ordinis Straubingam. 4) Circulus Regenensis (Regenkreis) cujus est 166 milliarium amplitudo, incolarum numerus 361,680, vectigalium onus fl. 2,109,680, princeps oppidum Amberga,

de sacris Catholicis moderandis cum Pontifice Romano initum fuit pactum [1]. Verum anno sequenti de civibus imprimis bene meruit Bavariae rex, cum edita, die 17 m. Maji, praeclara de statu et juribus municipiorum ordinatione [2], tum promulgata, novem post diebus, lege publica ejusmodi, qua multis certe nominibus commodum saluti libertatique civium positum fundamentum videretur, qua et sacrorum opinionumque sanciretur libertas et onera ferendi par omnibus obligatio imponeretur nullique civium classi ad honores muneraque prae caeteris aditus recluderetur et denique juris publici ne violari facile possent praecepta utiliter prospiceretur [3]. Probabilis vero imprimis hac lege

---

reliquorum nobilissima Ratisbona et Eichstadium. 5) Circulus Rezatensis (Rezatkreis) milliaria continens 148, incolas 488,450, tributorum nomine pendens fl. 3,117,155: urbes sunt, praeter Anspachiam, cui primi honores conceduntur, Norimberga, Furth, Erlanga. 6) Circulus Moeni Superioris (Ober-Mainkreis) milliaribus 152, incolis 459,920, vectigalium censu fl. 2,321,333, urbibus primum Baireuthâ, deinde Bambergâ. 7) Circulus Moeni Inferioris (Unter-Mainkreis) milliaribus 169, incolis 485,370, vectigalium pensione fl. 2,263,425, primariam urbem habens Wurzburgium, alias Afschaffenburgium et Swinofurtam. Denique, 8) Circulus Rhenanus (Rheinkreis) milliaribus 122, incolis 429,700, tributorum nomine conferens fl. 2,329,536, urbem habens praecipuam Spiram, caeterarum notissimas Bipontum atque Landavium. V. editum a C. VON ROTTECK et C. WELCKER, Lexicon Politicum (Staatslexikon) in v. Baiern, V. II, N°. 1, p. 151.

[1] SCHMELZING, op. l. V. I, § 74, (A); PÖLITZ, op. l. ibid. p. 29, 30.

[2] Bayrisches Gesetzblatt, Jahrg. 1818, N°. 5. Cf. PÖLITZ, op. l. ibid. p. 130, 131 et in libro: Die Staatswissenschaften im Lichte unsrer Zeit, (Lips. 1824) V. IV, p. 376, 377; SCHMELZING, V. II, § 113, sqq.

[3] PÖLITZ, Europ. Verfass. l. l. p. 129, sq. SCHMELZING, V. I, § 2. Cf. ipsum hujus legis publicae prooemium nec non Tit. IV, §§ 5, 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13 et Tit. X. Descripta lex exstat tum alibi tum in: Verfassungsurkunde des Königr. Bayern (Münch. 1819) p. 3, sqq.

condita est popularis repraesentationis ratio, qua licet

---

in Europäische Constitutionen etc. V. III, p. 112, sqq. apud PÖLITZIUM, Europ. Verfassungen, V. I, P. I, p. 132—147; apud DUFAU, DUVERGIER et GUADET, V. II, p. 232—248. Et de hac etiam lege publica variae admodum prolatae hominum sententiae fuerunt. Multa reprehenderunt in ea praesertim: VON HAZZI, Ueber d. Standpuncte der Bayr. Verfassungsurk. von 1818, in Bezieh. andr. Constitutionen; F. L. VON HORNTHAL, Zur Kritik der Verfassungs-Urkunde des Königr. Baiern, Bamb. 1818; W. J. BEHR, Staatswissenschaft. Betrachtungen über Entstehung u. Hauptmomente der neuen Verfass. des Baierischen Staats, Würzb. 1818. Laudarunt eam tum alii tum J. P. HARL, Ueber einige der wichtigst. Vortheile und Vorzüge der Baier. Verfassungs-Urkunde, Erlang. 1819. Cf. SCHMELZING, V. I, § 2, not. 7. Jura civitatis Bavaricae, secundum legis publicae anni 1818 adjunctorumque illi edictorum placita, praeter SCHMELZINGIUM, exposuerunt: G. DÖLLINGER, Verfassung des Königr. Baiern mit den darin angeführten fruheren Königl. Edicten u. Verordnungen, Münch. 1818—1819, III V. L. VON DRESCH, Grundzüge des Bayer. Staatsr. 1823, alt. ed. 1835; F. C. K. SCHUNK, Staatsr. d. Königr. Bayern, Vol. I, 1824; C. CUCUMUS, Lehrb. d. Staatsr. d. constitutionellen Monarchie Bayerns, 1825. Age vero, primaria quaedam insuper adscribamus hujusce legis praecepta. (Tit. II) Der König ist das Oberhaupt des Staates, vereinigt in sich alle Rechte der Staatsgewalt und übt sie aus unter den von ihm in der Verfassungsurkunde festgesetzten Bestimmungen. Seine Person ist heilig und unverletzlich. Die Krone ist erblich in dem Mannstamme des königlichen Hauses nach dem Rechte der Erstgeburt, und der agnatisch-linealischen Erbfolge. Die Prinzessinnen sind von der Regierungsfolge so lange ausgeschlossen, als in dem königlichen Hause noch ein successionsfahiger männlicher Sprosse oder ein durch Erbverbrüderung zum Throne berechtigter Prinz vorhanden ist. (T. IV) Zum vollen genusse aller bürgerlichen, öffentlichen und Privatrechte in Bayern, wird das Indigenat erfordert, welches entweder durch die Geburt oder durch die Naturalisirung erwonnen wird. Das Bayerische Staatsbürgerrecht wird durch das Indigenat bedingt und geht mit demselben verloren. Nebst diesem wird zu dessen Ausübung noch erfordert: *a*) die gesetzliche Volljährigkeit; *b*) die Ansässigkeit im Königreiche, entweder durch den Besitz besteuerter Gründe, Renten oder Rechte, oder durch die

procurandae universi populi felicitatis omnibus peraeque

Ausübung besteuerter Gewerbe oder durch den Eintritt in ein öffentliches Amt. (T. VI) Die Anträge über die Staatsauflagen geschehen zuerst in der Kammer der Abgeordneten, und werden dann durch diese an die Kammer der Reichsräthe gebracht. Alle übrige Gegenstände können, nach der Bestimmung des Königs, der einen oder der andern Kammer zuerst vorgelegt werden. (T. VII) Ohne den Beirath und die Zustimmung der Stände des Königreichs kann kein allgemeines neues Gesetz, welches die Freiheit der Personen oder das Eigenthum der Staatsangehörigen betrifft, erlassen, noch ein schon bestehendes abgeändert, authentisch erläutert oder aufgehoben werden. Der König erhohlt die Zustimmung der Stände zur Erhebung aller directen Steuern, so wie zur Erhebung neuer indirecter Auflagen, oder zu der Erhöhung oder Veränderung der Bestehenden. Den Ständen wird daher nach ihrer Eröffnung die genaue Uebersicht des Staatsbedürfnisses, so wie der gesammten Staatseinnahmen (Budget) vorgelegt werden. Die, zur Deckung der ordentlichen, beständigen und bestimmt vorherzusehenden Staatsausgaben, mit Einschluss des Reservefonds erforderlichen directen Steuern werden jedesmal auf sechs Jahre bewilligt. Die Stände können die Bewilligung der Steuern mit keiner Bedingung verbinden. Den Ständen des Reichs wird bei einer jeden Versammlung eine genaue Nachweisung über die Verwendung der Staatseinnahmen vorgelegt werden. Die gesammte Staatsschuld wird unter die Gewährleistung der Stände gestellt. Zu jeder neuen Staatsschuld, wodurch die zur Zeit bestehende Schuldenmasse im Capitalsbetrage oder der jährlichen Verzinsung vergrössert wird, ist die Zustimmung der Stände des Reichs erforderlich. Die Stände haben das Recht, in Beziehung auf alle zu ihrem Wirkungskreise gehörige Gegenstände dem Könige ihre gemeinsamen Wünsche und Anträge in der geeigneten Form vorzubringen. Jeder einzelne Abgeordnete hat das Recht in dieser Beziehung seine Wünsche und Anträge in seiner Kammer vorzubringen, welche darüber: ob dieselben in nähere Ueberlegung gezogen werden sollen, durch Mehrheit der Stimmen erkennt. Die von einer Kammer über solche Anträge gefassten Beschlüsse müssen der andern Kammer mitgetheilt, und können erst nach deren erfolgten Beistimmung dem Könige vorgelegt werden. Jeder einzelne Staatsbürger, so wie jede Gemeinde kann Beschwerden über Verletzung der constitutionellen Rechte an

mandatariis incumbere officium statuatur [1], quod tamen singulis civium classibus propriae attributae partes fuerunt, illud nationum Germanicarum tum indoli tum politicae conditioni optime accommodatum existimamus.

Atque huic pariter legi publicae, variis, quae illa continebantur, accuratius definiendis capitibus, decem, ejusdem diei prae se ferentia titulum, adjuncta fuerunt edicta [2], quorum, quod ultimum in illa serie locum occupavit, quum de ordinum conventu subjectam sibi habens tractationem, ejusmodi omnia complectatur praecepta, quae ad eligendorum mandatariorum ritum conditionesque unice pertineant, juxta ipsius legis publicae Tit. VI^m, quo primaria de ordinum distributione coetuumque compositione placita proponuntur, fontem

---

die Ständeversammlung, und zwar an jede der beiden Kammern bringen. (T. VIII) Die Gerichtsbarkeit geht vom Könige aus. Alle Gerichtsstellen sind verbunden ihren Urtheilen Entscheidungsgründe beizufügen. Die Gerichte sind innerhalb der Gränzen ihrer amtlichen Befugniss unabhängig, und die Richter können nur durch einen Rechtsspruch von ihren Stellen entlassen werden. (T. X) Die königlichen Staatsminister und sämmtlichen Staatsdiener sind für die genaue Befolgung der Verfassung verantwortlich. Abänderungen in den Bestimmungen der Verfassungsurkunde, oder Zusätze zu derselben, können ohne Zustimmung der Stände nicht geschehen.

[1] Const. d. 26 Maji 1818, T. VII, § 25, coll. Edicto de Conventu Ordinum ejusd. diei, T. II, § 56.

[2] Edictum I^m, de indigenis; II^m, de jure publico circa sacra ac societates ecclesiasticas; III^m, de libertate preli ac librorum commercio; IV^m, de juribus illorum superioris ordinis nobilium, qui Statibus Imperii olim fuerunt adnumerati; V^m, de nobilitate; VI^m, de agrorum dominorum juribus deque jurisdictione patrimonali; VII^m, de fideicommissis gentiliciis; VIII^m, de jure proprii sigilli (Siegelmässigkeit); IX^m, de rei publicae magistratibus; X^m, de conventu ordinum. Cf. PÖLITZ, Europ. Verfass. l. c. p. 132, SCHMELZING, V. I, § 2.

suppeditat, unde apud gentem Bavaricam omnis necessario hujusce argumenti derivetur expositio. Qualem nos pro viribus elaboraturi, age ea primum recenseamus, quae de ordinum sociis delegationisque suscipiendae conditionibus definita lege publica fuerunt.

§ 2.

De ordinum sociis secundum legem publicam anni 1818.

Duobus titulis, VI° scilicet atque VII°, totum hunc de ordinibus locum absolutum reperimus, quorum priori, inscriptione: de congressu ordinum (von der Ständeversammlung) sociorum ratio universe describitur, altero jura atque officia eorumdem accurate exponuntur. Quamquam hoc ipsum, conventum ordinum institutum iri, causam totius acturum civitatis, in binos tamen coetus distribuendum, alterum fuit universalium illorum placitorum, ideo legi publicae praefixorum, quoniam isti tamquam fundamento superstrui reliqua omnia juris praecepta debuerunt [1].

Duorum coetuum, quibus efficiuntur rei publicae comitia, prior consiliatorum est regni (Reichsräthe) delegatorum (Abgeordneten) alter [2].

Consiliatorum regni coetus, in quem hujusce instituti convenienter naturae principes tantum in civitate viros, sive generis excellentes nobilitate, sive muneris, quod gerunt, amplitudine, sive collatis in rem publicam beneficiis, adscisci jus est, socios habet alios, quorum genti tralatitius hujusce honoris concessus est fructus,

---

[1] Constitut. d. 26 Maji 1818. Tit. I, § 2.

[2] Ibid. T. VI, § 1.

alios, eum donec aetatem agant obtinentes. In eorum tamen omnium recensione facienda hunc lex publica servavit ordinem, ut enumeratos deinceps inveniamus: 1) regia ex gente viros simulatque ad majorem aetatem pervenerunt; 2) primario apud regem fungentes magistratu (Kronbeamten des Reichs); 3) Archiepiscopum utrumque (Munichensem et Bambergensem); 4) illarum gentium capita, quae ante dissolutam civitatem Germanicam Imperii Statuum usae juribus fuerunt: his consiliatorum dignitas haereditario nomine permittenda jubetur, quoad salvum iis remaneat dynastiarum, propter quas illa jura olim possederint, dominium. 5) Episcopum aliquem a rege desiguatum atque eum, qui quovis tempore universali Protestantium consistorio praesidet; 6) quoscumque cives rex senatorio munere ornaverit, sive propter splendorem generis divitiarumve copiam, sive in gratiam eximie ab iis in rem publicam collatorum beneficiorum: quos regi liberum est, sive donec victuri sint, sive haereditario etiam jure, ad insignem illum locum promovere, modo ii, qui ad posteros suos tributam sibi facultatem transmissuri sint, praeter integram jurium civilium ac politicorum exercitionem, dominii titulo praedium teneant sive feudale, seu fideicommissi onere, certo definito succedendi ordine, gravatum cujusque nomine, tamquam praediale tributum, CCC ad minimum ab iis pendantur floreni [1].

Ad vitam nominatorum consiliatorum numerus haereditariorum tertiam partem superare non debet [2]. Haereditarii, simulac majorennitatem attigerunt, in consilium

[1] Ibid. l. l. § 2, 3.
[2] Ibid. l. l. § 4.

adsciscendi sunt. Jus tamen suffragii principibus ex regia stirpe viris post expletum demum annum aetatis vicesimum primum, caeteris consiliariis post vicesimum quintum attribuitur [1].

Alter coetus, qui delegatorum est, hisce constat sociorum generibus: 1) dominis praediorum illis, qui in agris suis jurisdictionem exerceant neque in superius concilium adscripti fuerint; 2) Academiarum legatis; 3) viris pontificiis e Catholicorum ac Protestantium communionibus; 4) legatis, quos urbium ac pagorum urbibus adsimilatorum (Städte und Märkte) incolae designarunt, tum 5) fundorum dominis iis, qui illorum classi, quos supra memoraverimus, non comprehendantur [2].

Numerus autem legatorum universe definitur pro ratione multitudinis in regno Bavarico familiarum, ita ut pro septies mille familiis singuli legati constituantur [3]. Confecti hunc in modum numeri designabunt: 1) fundorum domini nobiles, partem octavam; 2) Catholicorum ac Protestantium viri pontificii, partem similiter octavam; 3) urbium pagorumque cives, partem quartam; 4) domini fundorum jurisdictionem non habentes, partem dimidiam; 5) trinae academiae, socios singulos [4]. Quum autem anno 1819 primum convocati ordines fuissent, recensione facta, apparuit haberi in civitate Bavarica familias septingies, octagies, novies mille, centum, nonaginta et unam: constitui igitur legatos debere centum et duodecim vel, additis tribus academiarum mandatariis, centum et quindenos. Ex

---

[1] Ibid. l. l. § 5.
[2] Ibid. l. l. § 7.
[3] Ibid. l. l. § 8.
[4] Ibid. l. l. § 9.

hisce ergo designarunt: 1) fundorum domini nobiles, partem octavam, id est quatuordecim; 2) pontificii, similiter quatuordecim, quorum novem, Catholici, quinque reliquos, Protestantes; 3) urbes pagique jure mittendi legatos utentes, partem quartam, id est viginti et octo; 4) praediorum domini sine jurisdictione, partem dimidiam, id est quinquaginta sex. Tres denique ab academiis constituti fuerunt [1].

Quaenam autem ordinum conventui lege Bavarica jura honoresque competant, quum nostrum non sit data operâ exponere, hocce in argumentum inquirere cupientes ad VII^{m} Constitutionis Titulum remittimus, quo scilicet sic accurate describi universum deliberandi agendique ambitum regni ordinibus propositum invenimus, ut praemissum huic enumerationi placitum legatur, de nullis aliis rebus deliberari ab utroque coetu fas esse, ac quae hac ipsa deinceps continerentur [2]. Notamus tamen, lege publica caveri, ne illarum partium, quae communiter explendae coetibus conceduntur, ab alterutro tantum eorum efficaciter ullae peragantur [3], neve igitur, nisi quae ad ambos pertineat, ullam fieri aut convocationem aut auspicationem dimissionemve liceat [4]. Praeterea, sicuti inaugurando consiliatorum coetui, ut dimidia certe eorum pars advenerit, requiri [5], ita delegatorum inchoari consessum, nisi praesentibus horum duabus tertiis, non debere [6]. Cae-

---

[1] Decret. regium d. 30 Nov. 1818, electoriis concionibus convocandis. Cf. DUPAU, DUVERGIER et GUADET, Collection des Constitutions etc. Tom. II, p. 250.

[2] Constit. 1818, T. VII, § 1.

[3] Ibid. T. VI, § 19.

[4] Ibid. l. c. § 16.

[5] Ibid. l. c. § 6.

[6] Ibid. l. c. § 15.

terum muneris sui exercitionem mandato in alium transferre, nemini neque consiliatorum nec legatorum permissum fuisse [1].

Rex semel ad minimum singulis trienniis ordines convocare tenetur [2]. Consessionis tempus, nisi aliter a rege decernatur, ultra duos menses extendendum non est [3]. Ejusdem tum prorogandae tum differendae, quin et dissolvendae legatorum concionis omni tempore potestas regi suppeditat. Dissolutis regis jussu comitiis, ante elapsum trimestre instaurari legatorum electionem oportet [4].

Legatorum eligendorum facultas quo modo per varios circulos sive districtus (Regierungsbezirke) distribuenda foret, in peculiari de ordinum conventu promulgando edicto definitum iri, pronuntiatum fuit [5].

Singulae autem civium classes, quibus nominandi attributi sunt mandatarii, sejunctim illud peragant officium necesse est. Creantur vero legati in sexcennium. Quodsi intra illud tempus quis legatus obierit, qui post eum plurima obtinuerit suffragia, ei sufficiendus est [6]. Igitur sexto quoque anno instaurantur electiones, aut vel intra illud temporis spatium, ubi a rege coetus fuerit dissolutus. Iterum eligi recte possunt decedentes [7].

Haec universalia placita sequitur deinde expositio eorum, quae omnibus in classibus requiruntur, ut legationem suscipiendi quis utatur facultate. Quae scilicet ad has quinque referuntur conditiones: 1) debet quis, officiorum, quae forte praestet civitati, nulla

---

[1] Ibid. l. c. § 17.
[2] Ibid. T. VII, § 22, al. 1.
[3] Ibid. l. c. § 22, al. 3.
[4] Ibid. l. c. § 23.
[5] Ibid. T. VI, § 10.
[6] Ibid. l. c. § 11.
[7] Ibid. l. c. § 13, coll. T. VII, § 23.

ratione habita, ipse per se juribus frui civilibus; 2) in ipso, quo eligendus sit, districtu plenum habere usum fundi, unde ad vitam liberaliter agendam affatim ei redituum suppeditet, secundum varios aestimationis gradus circa tributorum pensionem constitutos, quorum in edicto super ordinum comitiis descriptio continetur; 3) trigesimum aetatis annum explevisse; 4) uni de tribus Christianorum formulis semet adsociasse; 5) si unquam reus exstiterit judicii sive criminalis sive correctorii, justam ab eo liberationem accepisse [1]. Si acciderit ut ordinum aliquis socius jacturam passus sit istorum commodorum, quorum titulo admitti in concilium potuerit, puta fundorum, jurium dominicorum, pontificiae dignitatis, perceptorum e gestis negotiis redituum, vel eorum etiam deminutionem expertus sit, quae requiri ut legatus quis constitui possit, supra vidimus, eum socium, post deliberationem ea de re apud concilium institutam causamque a sese peroratam, consessu esse excludendum, lege decernitur [2].

Notandum autem est, in hacce lege publica recipienda, illi regni Bavarici provinciae, quae Francorum quondam dominationi subjecta, anno demum 1816 acquisita Rhenanique circuli deinde celebrata fuerat appellatione, propter nonnullorum in ea juris publici argumentorum dissimilitudinem, diversam quoque a caeteris provinciis conditionem obtigisse, ita scilicet, ut, quod ad illam, quaedam istius legis placita aut

[1] Ibid. l. c. § 12.

[2] Ibid. l. c. § 14. Decedenti talem ob causam legato eumdem sufficiendum esse vicarium, qui mortui locum suppleturus fuisset (§ 11) docemur Edicto de conventu ordinum (Edict über die Ständeversammlung) d. 26 Maji 1818, Tit. I, § 48.

omni prorsus vigore destituerentur aut nonnisi cum aliqua temperatione admissum iri perhiberentur. Postquam enim, d. 12 Jun. 1818, solemniter huic circulo adnuntiatae legi publicae subjuncta clausula fuisset, adhiberi eam isti regioni sic tantum licere temperatam, uti propriorum eidem institutorum, quae ipse olim rex confirmavisset, necessario postularetur naturâ [1], d. 5 m. Octobr. 1818, huic rei diligentius pertractandae novum prodiit decretum regium, cujus uti reliqua capita, quippe nihil ad nostrum argumentum facientia, praetermissuri sumus, sic earum mutationum, quas de facultate ac ritibus mandatarios in conventum publicum ablegandi continuerit, rationem habere, necessarium ducimus. Quod quidem sic convenientissime fieri a nobis posse existimamus, si in singularum argumenti

---

[1] »Es sei der ausdrückliche königliche Wille, dass die Vollziehung der Verfassung hier nur mit den Modificationen geschehen solle, welche die bestehenden besonderen Institutionen erforderten.'' Quo enim tempore Francis haec regio moderatoribus uteretur, multa illic admodum probabiliter instituta fuerunt, quae cum insigni cives prosequi favore didicissent, aut tollere ea aut minuere, praeposterum invidiosumque videbatur. Spectabant haec imprimis: singulorum hominum libertatem ac securitatem custodiendam, jurium omnibus incolarum classibus vindicandam aequabilitatem, unde factum ut nobilibus nulla amplius privilegia tribuerentur, ad opificia tractanda omnium aequabili jure definitam admissionem, sejunctum ab ipsa rei publicae administratione juris dicundi officium, consessus juri dicundo civibus audientibus obeundos, per selectos juratosque cives causas criminales persequendas, ab omni rerum profanarum tractatione pontificios homines remotos, decumarum denique nec non caeterorum feudalium onerum sancitam abrogationem. Vid. omnino de his Bavariae Rhenanae institutis editum a C. VON ROTTECK et C. WELCKER, Lexicon Politicum (Staatslexikon oder Encyclopädie der Staatswissenschaften) in v. Baiern (Rhein) V. II, p. 160, sqq.

nostri partium enarratione facienda, si quid super iis peculiare decreto 5 Octobris propositum fuerit, unicuique in ordine deinceps apponamus. Quapropter, quum in hocce §pho de ordinum sociis egerimus universe, memorandum jam nunc erit, constitutum eo decreto fuisse, ut quaecumque placita de comitiorum tum compositione tum juribus atque officiis in VIm et VIIm legis publicae Titulos fuissent relata, haec universe quidem in Rhenano circulo haud secus atque in reliquis provinciis vigere deberent regique proinde salva maneret facultas consiliatorum regni ex illa quoque civitatis parte seligendorum idque tum collatorum in rem publicam beneficiorum tum caeterarum rerum gratiâ, quarum sub Tit. VI § 2 N. 6 mentionem factam inveniatur: verum enim vero, a componendi coetus alterius ratione ejusdem Tit. § 7 proposita eatenus necessario recedendum foret, quatenus agrorum possessoribus patrimoniali utentibus jurisdictione, qui scilicet civium ordo in Rhenano circulo minime amplius reperiretur, certum ibi jus attribui minime posset, istorum autem defectum, propter adsignatam illi circulo certa proportionis lege delegatorum multitudinem, majori caeteris classibus permittenda frequentiâ suppleri omnino oporteret. Praeterea, eorum respectu mandatariorum, qui urbium assimilatorumque urbibus pagorum nomine venturi essent, ut decreta de iis tum ipsa lege publica tum Xa ad eam appendice (edicto de legatorum conventu) ordinatio legis vigorem in Rhenana provinciâ optimo sane esset jure consecutura, si quidem, utut integram servari oporteret jurium rituumque circa conciones in urbibus ruralibusque communitatibus aequabilitatem, hisce ta-

men ambabus eo amplior in conventu ordinum locus foret attribuendus, quo plus ex rerum, cui opera ab iis navaretur, fabricatione in communem rei publicae fructum redundaret utilitatis; ne vero commodo mandatariorum numero utraque harum classium destituta maneret, a quibus quid ipsis expediret probe tenentibus salus felicitasque earumdem aptissime promoverentur, ipse justitiae sensus quam maxime dissuaderet[1].

Repudiandae in alterum coetum legationis causae legitimae utut in ipsa Constitutione memoratae non fuerint, verum in Edicto de conventu ordinum contineantur, quum tamen omnes ordines peraeque respiciant adque universalia placita naturâ maxime sua referantur, hoc potissimum loco annotari eas a nobis debere existimamus. Lege igitur cautum reperimus, ne rite electo mandatario liberum sit, muneri in se collato renuntiare, nisi aut ejusmodi laboret aegritudine, qua ad ulla negotia gerenda longum in tempus ineptum eum reddi, medicorum testimonio probetur, aut in rei sive domesticae sive familiaris sive etiam publicae procuratione, illius generis implenda habeat officia, quae, testibus magistratibus electioni praepositis, assiduitatem ejus necessario postulent[2]. Hisce excusandi rationibus obligationem subjungimus, iis omnibus impositam, qui civitatis aliquo munere fungantur, aut emeriti stipendium ex aerario percipiant, aut denique rei publicae nomine obstricti aliqua parte habeantur, quos enim, sicut electores recte constitui, ita popularem legationem

---

[1] Schmelzing, op. cit. V. I, § 2, not. 10; Staatslexikon, l. c.

[2] Edict. de convent. ordin. in Bavar. d. 26 Maji a. 1818 (apud Pölitz, Europ. Verfass. V. I, P. I, p. 159—175) Tit. I, § 44, a et b.

nonnisi indulta ab rege veniâ suscipere posse, decretum invenimus. Similiter eos, quibus agrorum domini competentium sibi hoc titulo jurium partem aliquam exercendam mandaverint, illorum impetrasse consensum necesse est, si oblata sibi coetus alterius societate frui cupiant [1]. Excusandi rationes designati in primo secundove ordine legati, simulatque attributae sibi dignitatis certiores facti sint, districtus praefectis subjicere tenentur, easdem vero in caeteris ordinibus statim post electores constitutos, ex quorum scilicet corpore desumi tantum possunt mandatarii, istius collegii sociis, a quo illi fuerint nominati, proponi oportet: quorum tunc est, suffragiorum latione instituta, allatas causas aut ratas habere aut rejicere idemque jus a priorum pariter ordinum electoribus exercetur [2]. Ad supplendum excusati locum is vocatur, cui plurimi post eum calculi obtigerint, quem modo vidimus in delegatorum comitia tum quoque admitti debere, ubi ipso habiti consessus tempore defecerit mandatarius: ad eamdemque normam ei sufficitur, qui requisitam regis dominive adsensionem haud potuerit impetrare [3]. Post absolutas electiones amplius renuntiare nemini designato conceditur,

---

[1] Ibid. l. c. § 44, c.

[2] Ibid. l. c. §§ 45, 46, a, coll. §§ 20, 25, 37. Prioribus tamen ordinibus, quod ad ritum excusationis proponendae, eas quoque urbes annumerari debere manifestum est, quas proprios in conventum legatos designare mox videbimus. In quibus scilicet quum magistratus municipales civiumque procuratores (Gemeinde-Bevollmächtigten) electorum fungi officio jubeantur, nulla sane admitti potuit desumendi ex electorum corpore populi mandatarios obligatio. Vid. §§ 21, 22, 23, coll. 58, d.

[3] Ibid. l. c. §§ 46, b, 48, coll. § 15, al. 2 ac Constitut. 1818, Tit. VI, §§ 11 et 14.

nisi demum, instaurato jam sexennali conventu, legitimae, quas diximus, rationes exortae fuerint, de quibus tum pendet judicium ab auctoritate mandatariorum [1].

Transeamus nunc ad edicti de conventu ordinum d. 26 Maji 1818 praecipua placita circa legatorum in alterum coetum eligendorum rationem enarranda, ac primum quidem, ad normam edicti, videndum

§ 3.

De compositione coetus alterius, respectu juris legatos in eum designandi.

I. Possessores praediorum cum jurisdictione patrimoniali [2]. Circa hunc ordinem statuit edictum, octavam

[1] Ibid. l. c. § 47, quo loco pro § 44 male citatum est § 42, quod vitium miror SCHMELZINGIUM etiam recepisse, V. I, p. 453.

[2] Postquam abrogari nobilitatis, quaecumque jus publicum respicerent, privilegia, Constitutione 1 Maji 1808 decretum fuisset, prodiit, ejusd. anni d. 28 Jul. de futuro nobilium statu ordinatio, qua non tantum, ut par erat, *mediatorum* optimatium jura, quorum scilicet definitionem dederat edictum d. 19 Mart. 1807 (SCHMELZING, V. I, § 96) confirmata fuerunt, verum id actum potissimum, ut fideicommissorum gentiliciorum (*majoratuum*) instituendorum Bavaricis nobilibus, prae reliquis civium classibus, facultas vindicaretur (Edict. de nobilitate d. 28 Jul. 1808, T. I, § 3 et 4). Quae vero simul cum hoc edicto data lex est de juribus ad agrorum dominium pertinentibus (Organisches Edict die gutsherrlichen Rechte betreffend) nec caeteras facultates nec patrimonialem jurisdictionem solis attributum iri nobilibus hominibus voluit. V. Edict. de jur. agr. poss. § 1, coll. Const. 1808, T. I, § 5. Reformato vero per Constitutionem d. 26 Maji 1818 jure publico Bavarico nonnullisque ad majorem antiquorum placitorum similitudinem immutatis, nobilibus quoque privilegiorum honorumque faustior asserta fuit conditio. Quae cum ad quinque potissimum capita referrentur, Const. 1818 T. V § 4 enumerata, proprium in his locum jurisdictioni concessum invenimus. De cujus reliquis classibus ademtae facultatis (Edict. de nobilibus d.

partem cunctorum coetus alterius sociorum, cujus scilicet designandae jus illi competit, in variis provinciis sive circulis (Regierungsbezirken) distributum iri pro numero, quem singulae contineant, ejusmodi possessorum [1].

II. Academiae. Pro harum circa legatos nominandos facultate remittitur ad legis publicae Tit. VI § 9 [2].

III. Pontificii. Octava pars huic pariter classi attributa inter Catholicos ac Protestantes sic dividitur, ut pro numero presbyteriorum (Pfarreien) quae utrique harum sectarum subjecta sunt, illi duas tertias, hi tertiam pontificiorum legatorum portionem in coetum alterum seligendi facultatem exerceant. Quorum legatorum per districtus singulos distributio apud illos ad numeri presbyteriorum, apud hos ad decanatuum universalium (General-Decanate) amplitudinis rationem peragitur [3].

---

26 Maji 1818, § 14) ambitu atque exercitione, alio ejusdem diei edicto sive appendice ad legem publicam VI[a] (SCHMELZING, V. I, § 100, p. 255, sqq.) diligenter provisum est. Unde ad nostri illustrationem argumenti hoc imprimis memorabile discimus, eorum tantum agrorum nobilibus dominis jurisdictionem obtigisse, quorum cum possessione similis facultas jam anno 1806 conjuncta fuisset. (Edict. § 27). Notamus etiam, privilegii, de quo agimus, duas in Bavariâ species haberi, prouti illud sive latioris ambitus jurisdictionem, quali et ruralia funguntur tribunalia (Landgerichte) sive minores tantum ac quotidianas istius officii partes complectatur: illa autem tribunalia, toparchalia (Herrschaftsgerichte): haec, patrimonialia (Patrimonialgerichte) arctiori sensu nuncupari solere. V. Edict. cit. passim.

[1] Edict. de convent. ordin. l. c. § 3.

[2] Ibid. l. c. § 4.

[3] Ibid. l. c. § 5. Haec quo melius intelligantur, de conditione et regimine ambarum in Bavariâ Christianae fidei ecclesiarum (communi enim subsunt moderamini Lutherani atque Reformati) quaedam breviter annotanda videntur. Primum, quod rem sacram spectat universe, sicut

IV. Urbium ac pagorum incolae. Eligendorum hujusce ordinis legatorum, id est quartae cunctorum

---

publica receptas auctoritate tres illas formulas, Romano-Catholicam, Lutheranam, Reformatam paribus inter se frui juribus politicis atque civilibus debere, neque igitur, ut honoris quid aut vel privilegii cuiquam ex illis in damnum caeterarum tribuatur, committendum esse, ipsa lege publica (Tit. IV § 9) decretum reperimus: ita, ex fausta earumdem circa procurationem rerum suarum libertate ne detrimenti quid capiat res publica, civitatis moderatoribus ut salva facultas relinquatur videndi, in peculiari praesertim de hoc argumento ordinatione (Edict über die äussern Rechtsverhältnisse des Königreichs Bayern in Beziehung auf Religion und Kirchliche Gesellschaften: Gesetzblatt f. d. Königr. Bayern, 1818, N. IX, p. 149—180, PÖLITZ, Europ. Verfass. V. I, P. I, p. 148—157) perquam sane diligenter provisum fuit. Quorsum enim tum nobilissimum illud jus *placeti* tum alia multa pertinent instituta, de quibus hic ulterius dispicere nihil attinere existimamus. V. SCHMELZING, op. l. V. I, § 69—73, p. 126—144; Staatslexikon, in v. Baiern, V. II, p. 155, sq. Catholicae autem ecclesiae definiendae administrationi, quod jam supra diximus, pactum sub nomine Concordati, d. 5 Junii 1817, cum Romano Pontifice rex Bavariae instituit, cujus praecipua, ad nostrum quidem consilium facientia capita haec fuerunt: 1) ut in binas metropolitanas dioeceses, Monachensem et Bambergensem, universo agro Bavarico distributo, trinae sedes episcopales utrique istarum subjicerentur, alteri Augsburgensis, Ratisbonensis, Wurzburgensis: Passavensis, Eichstadensis, Spirensis alteri. 2) Ut singularum dioecesium tum metropolitanarum tum episcopalium capitulis, praeter Archiepiscopum Episcopumve, singuli Praepositi (Pröbste) singulique Decani ac certo insuper numero Canonici et Vicarii adscriberentur. 3) Ut Bavarici reges, quotquot formulam Catholicam in posterum essent professuri, archiepiscopos episcoposque designandi uterentur facultate, salva tamen canonica, quae dicitur, confirmatione; iisdem etiam tum decanorum tum, per apostolicum sic vocitatum semestre, canonicorum incumberet nominatio; dum Pontifici Romano praepositi; per alterum autem semestre, partim archiepiscopis episcopisque, partim capitulis seligendi canonici attribuerentur; vicarios vero numquam non archiepiscopi episcopique constituerent. 4) Ut solos inquilinos adsciscí in capitulos liceret. 5) Ut regi insuper libera fa-

coetus alterius sociorum portionis, eae tantum urbes participes habentur, quas quingentae ad minimum in-

---

cultas maneret candidatos proponendi ad illa omnia presbyteria beneficiaque tum curialia tum simplicia (Pfarreien, Curat- und einfache Beneficien) quorum respectu majoribus olim ipsius, ducibus electoribusque jura patronatus quamvis ob causam legitimam suppetiissent; tum ad illa quoque beneficia, in quibus ab exstinctis nunc sacris collegiis munus illud usurpatum antiquitus fuisset; pariter vero civibus Bavarensibus, quotquot simili privilegio legum juxta praecepta fruerentur, in posterum quoque illius vindicaretur exercitio. Qualis tamen candidati propositio, nisi facta tempus intra legitimum fuisset, ad nominationem ipsis transeundum foret archiepiscopis episcopisque. 6) Ut in instituendis, dividendis conjungendisque presbyteriis nonnisi regis adhibita comprobatione statui ab episcopis atque archiepiscopis liceret. Vid. Concord. 5 Jun. 1817 (Gesetzblatt für das Königr. Baiern, 1818, N°. XVIII, p. 397—436), Artt. 2, 3, 9, 10, 11, 12; SCHMELZING. V. I, § 74, A, p. 144—157. Caeterum notamus, decanatus centum nonaginta et unum, presbyteria vero bis mille quingenta et octodecim cunctis regni Bavarici dioecesibus contineri: eorum autem omnium, qui formulam Catholicam profiteantur, vicies, quinquies centenis, additis septuagenis millibus, aestimatam anno 1840 fuisse multitudinem. V. Staatslexikon, in v. Baiern, V. II, p. 150 et 156. Rebus Protestantium ordinandis, appendicis loco ad memoratum de moderamine sacrorum edictum (Edict üb. d. äuss. Rechtsverh. d. Königr. Baiern, in Bez. a. Rel. u. Kirchl. Ges. § 103) propria data est, d. 26 Maji 1818, constitutio, qua sancitum, ut suprema circa hujusce ecclesiae administrationem auctoritate, nomine Consistorii Superioris, institueretur collegium, cujus societate, praeter eum, cui praesidium gerendum incumberet, quatuor ex ordine pontificio consiliatores unusque profanus homo fungerentur; huic vero collegio, tollendis, quae ordinatione 16 Aug. 1817 inducti fuerant, decanatibus universalibus (General-Decanaten) Baireuthensi et Anspachensi, trina subjicienda forent consistoria, quorum Anspachiae, Bayreuthae, Spirae sedes collocarentur, in quibus autem singulis praesidis partes is esset obiturus, qui in isto circulo Directoris officio fungeretur, aut, si alienus is esset a sacris Protestantium, provincialium consiliatorum formulae isti addictorum natu maximus, trinique praeterea socii, quorum bini pontificii, constituerentur. Porro, ut in

colant familiae, quam ad classem quaenam pertineant, in convocatorio regis edicto quovis tempore nominatim est significandum; reliquis juris suffragii in classe rurali attribuitur exercitio. Excellentibus tum negotiorum, quibus incumbunt, gravitate amplitudineque, tum frequentiâ incolarum urbibus singulis jus concessum est proprios legatos constituendi, ita quidem ut Monachium binos, Norimberga vero et Augsburgium singulos designare soleant mandatarios; dum caetera oppida, quibus suffragii hoc in ordine facultas competit, venturos ipsorum nomine legatos conjunctim per singulos districtus designare tenentur [1].

V. Reliqui fundorum possessores sine jurisdictione patrimoniali: Dimidia pars cunctorum in altero coetu

---

districtibus pristinam ad normam decanatus conservarentur; hi autem nec non singulis in presbyteriis antistites a consistoriorum penderent moderamine. Denique, ut ministro regio rebus internis praeposito subjectum superius consistorium haberetur inque praecipuis muneris sui negotiis pertractandis, officiis, honoribus, pensionibus aut conferendis aut adimendis minuendisque, ambactibus (Pfarrsprengel) aut jungendis aut dividendis aut novis etiam componendis, verbo, novis institutis ritibusque in rei sacrae administratione decernendis, ab istius auctoritate magistratus recedere minime posset. Vid. Ediot über die inneren kirklichen Angelegenheiten der protestantischen Gesammt-Gemeinde (Gesetzbl. 1818, XVIII, p, 437—450), Artt. 1, 2, 4, 6, 10, 11, 15, 17, 18, 19; SCHMELZING, l. l. p. 158—165. Atque horum sacrorum exercendorum gratiâ mille triginta sex in omni civitate numerantur presbyteria eademque sociorum Protestantium novies centena et quinquaginta tria insuper millia continere perhibetur. V. Staatslexikon, l. l. p. 150 et 156. Commemoratione vix indiget, Judaeos, licet circa multorum jurium civilium usum Christianis hominibus adsimilentur, uti reliquis in civitatibus Germaniae, sic in Bavariâ quoque ab omni exclusos haberi jurium politicorum exercitione. V. SCHMELZING, l. l. p. 165—175.

[1] Edict. de conv. ord. Tit. I, § 6.

legatorum, quam adsignatam huicce classi fuisse supra vidimus, per unamquamque provinciam pro ratione degentium in ea familiarum multitudinis distribuitur, demtis iis familiis, quae oppida inhabitent hoc ipso nomine eligendi facultatem exercentia [1].

Praeter communes conditiones lege publica praescriptas, has etiam peculiares legationem variis in ordinibus suscepturi impleant, necesse est: I. legati possessorum rerum soli cum jurisdictione patrimoniali, ut in ipso, quo eligantur, circulo bona illa immobilia possideant. II. Academiarum legati, ut ex legitimis tantum doctoribus ordinariis selecti fuerint. III. Pontificii mandatarii, ut sacrorum antistites sint optimo jure, i. e. non adscititii, ipsique presbyteria sua procurantes (wirkliche, selbstständige Pfarrer, welche ihre Pfarrei selbst versehen.) IV. Oppidorum legati, ut in iis urbibus pagisve, quorum nomine in conventum adsciscendi sint, sic habitent, ut, per integrum jam ante electionem triennium, aut libero in iis usi fuerint praedii dominio, aut urbanum tractaverint opificium, unde, sive praedialis tributi titulo (Hauser- und Rusticalsteuer) simplici pensione (Simplum) censeantur X florenorum, sive opificialis, tantumdem solvere pecuniae teneantur, quantum tertiae hoc in vectigali classi constitutum fuerit, id est florenos triginta quadragintave, sive denique eadem tertiae classi praescripta collationis mensurà, amborum, quae diximus, tributorum nomine, conjunctim aestimentur. Iisdem vero conditionibus eos quoque subjectos legimus, qui electorum in urbibus pagisque functuri sint officio. V. Legati ex ordine

---

[1] Ibid. l. c. § 7.

possessorum jurisdictione patrimoniali haud utentium, ut similiter pleno fruantur in suo districtu rei immobilis dominio ante triennium acquisito ac propter quod simplici tributi pensione X ad minimum graventur florenorum [1].

Si quis, cum in pluribus districtibus aut plurium in eodem districtu ordinum nomine eligi legitime potuerit, in pluribus quoque vel districtibus vel ordinibus legatus designatus fuerit, huic unam tantum propter electionem oblata mandatarii dignitate fungi licet, illam nimirum, quae majori caeteris calculorum numero ad istum gerendum honorem eum promoverit [2].

Quoties ex legis publicae Tit. VI § 13 praeceptis ad instaurandam legatorum electionem transeundum est, quot mandatarii singulis pro districtibus singulisque ordinibus nominari debeant, publice pronuntiari designandisque legatis comitiorum a praefectis provincialibus decerni solet celebratio [3].

Quivis legatorum elector, ante electionem obeundam, jusjurandum, leg. pub. Tit. X § 3 praeceptum: »regi se fidem, obsequium legibus servaturum constitutionemque rei publicae custoditurum:" [4] nisi antea praestiterit, recitare atque insuper hanc promissionis formulam edere tenetur: »Spondeo suffragium me meum ex libera intimaque animi persuasione editurum esse,

---

[1] Ibid. l. c. § 8. [2] Ibid. l. c. § 10.

[3] Ibid. l. c. § 11, coll. Const. 26 Maji 1818, T. VI, § 13.

[4] »Alle Staatsbürger sind bei der Ansässigmachung und bei der allgemeinen Landeshuldigung, so wie alle Staatsdiener bei ihrer Anstellung verbunden, folgenden Eid abzulegen: »Ich schwöre Treue dem Könige, Gehorsam dem Gesetze und Beobachtung der Staatsverfassung; so wahr mir Gott helfe, und sein heiliges Evangelium!"" Const. T. X, § 3.

prout reapse expedire commodis rei publicae censuero, ab omni extraneorum rumore constanter auribus aversis. Itaque a nemine, qualicumque tandem usum praetextu, sive ipsum sive per interpositos alios vel tantillum doni aut accepisse umquam aut in posterum acceptu-rum esse. Item spondeo, legationis in alterum coetum consequendae gratiâ, nemini qualicumque modo me aut condixisse donum aut dedisse, neque umquam daturum condicturumve [1]." Quam quidem formulam legatorum ex tribus prioribus ordinibus electores voti sui scripto concepti adjungere solent traditioni; ex quarto vero quintoque ordine electores, ante ipsam suffragiorum lationem instituendam, coram regiis mandatariis eligendi negotio praefectis (Königliche Wahlcommission) pronuntiare tenentur [2].

Denique, ne per procuratores ferantur suffragia lege cavetur, edi illa oportere decernente ab ipsis civibus negotio isti obeundo designatis, dummodo viginti quinque, aut si populi mandatarios electuri sint, triginta aetatem annorum superaverint [3].

§ 4.

De electione possessorum agrorum cum jurisdictione patrimoniali.

Postquam de electionibus factitandis a rege fuit edictum, praefectorum in singulis districtibus [4] est curare,

---

[1] Edict. de conv. ord. T. I, § 12.

[2] Ibid. l. c. § 12, al. 3. [3] Ibid. l. c. § 13.

[4] In singulis circulis sive districtibus administratione supremo loco fungitur Praeses (Präsident der Regierung sive General-Commissar). Hujus vero sub auspiciis cuncta negotia bini coetus moderantur, quo-

ut quotquot cives ad huncce ordinem pertineant, exceptis tantum iis, qui sedem in coetu priori capessiverint, suffragii ferendi gratiâ in praestitutum diem advocentur simulque ut innotescat iis legatorum numerus, districtui hoc in ordine attributorum; postremo ut series iis tradatur omnium istius ordinis sociorum, quos satisfacere legitimis conditionibus omnibus appareat. Quo facto, unusquisque socius electionis particeps, votum suum perscriptum suaque subsignatione nec non memorata jurisjurandi formulâ munitum, symbolo etiam apposito eligendi negotium respiciente (mit einem besondern beliebigen Wahlspruche) tempus intra legitimum, cum ipso districtus praeside communicare jubetur [1]. Qui ritus si male observatus a quoquam fuerit, lati ab hoc suffragii rationem esse habendam nullam legimus [2].

---

rum alteri, internae circuli gubernationi praeposito (Cammer des Innern vocant) haec novem praecipue capita subjecta habentur, videlicet: 1) varia juris publici argumenta; 2) res militaris; 3) sacra cultusque divini celebratio; 4) juventutis institutio, educatio, mores; 5) cura sanitatis; 6) securitatis ac tranquillitatis publicae vindicatio; 7) res municipiorum corporationumque; 8) interni rei publicae status accurata servanda cognitio (allgemeine Statistik) denique, 9) judicialis, quae dicitur, cura aedilitia (Gerichts-Polizei) magistratuumque temperatio. Alter (Cammer der Finanzen) in eorum omnium versatur procuratione, quae ad rem pecuniariam universam, proventus sumtusque publicos, tributa, oeconomiam civitatis aliaque hujus generis referuntur. Socii autem illis coetibus aliquot adscripti sunt consiliarii aliique minoris ordinis magistratus; qui vero utrique praefecti sunt, Directores vulgari appellatione vocitati, supremo districtus praesidi eum in modum appositi habentur, ut ab hisce solis varia publicae administrationis negotia pertractentur. Vid. Edict. reg. 27 Mart. 1817 (Bayer. Regier. Bl. 1817, N°. XIV, p. 243, sq.) Cf. SCHMELZING, op. l. V. II, §§ 77—103.

[1] Edict. de conv. ord. l. c. § 14, coll. § 12.

[2] Ibid. l. c. § 17, a.

Tum praeses districtus aperiendis suffragiorum tabellis diem constituit ac, quinque sibi adscitis ordinis nobilium sociis proxime degentibus, coram his nec non ambobus gubernationis moderatoribus (Directoren der Regierung) unoque graphiario, operam ipse deinde navare officio isti perficiendo tenetur. In qua re sic versandum esse lege decernitur, ut, singulis deinceps resignatis tabellis palamque suffragiis pronuntiatis, symbola quidem recitari at taceri electorum nomina oporteat; tum vero, cunctis suffragiis in tabulas electionum (Wahlprotocoll) insertis, statim transeatur ad legatorum designationem e majori calculorum numero colligendam; actis denique universi, qui adsunt, subscribant, nisi qui illorum ipsi fuerint legati constituti [1]. Si par quibusdam suffragiorum numerus obtigerit, advocatis ad hunc consessum ordinis nobilium sociis tollendae hujusce difficultatis alborum nigrorumque globulorum conjectione protenus incumbit officium. Quod praeceptum, uti designatos mandatarios respicit, sic ad futuros etiam ex legis placito vicarios ipsorum porrectum est; quapropter in tabulis factarum electionum illos quoque accurate adscribi et inter sese conferri oportet, qui secundas velut partes in suffragiorum latione consecuti sint. Quod non de hujus tantum sed de cunctorum peraeque ordinum electionibus animadversum velimus [2].

Hisce igitur legitime peractis, quo de perlatis suffragiis unicuique hujusce ordinis socio innotescat riteque exceptum fuisse, quod protulerit suffragium, persuasum ei sit, tabularum cum eo communicandum est exemplar,

---

[1] Ibid. l. c. § 15, al. 1.

[2] Ibid. l. c. § 15, al. 2, coll. § 18, al. 2, § 48.

appositorum singulis symbolis votorum, omissis electorum nominibus, significationem continens [1].

Denique memorandum est, cives nobiles illos, quibus in eodem districtu agri cum jurisdictione patrimoniali suppetant complures, simplicis tantum ex cunctis ferendi suffragii repetere facultatem [2].

§ 5.

De eligendis legatis Academiarum ac hominum pontificiorum.

Academicorum legatorum electio in solemni conventu peragitur, cujus universi doctores cum ordinarii tum extraordinarii participes facti sint oportet, suffragia sua scripto concepta, adjunctis symbolo jurisque jurandi formulis requisitis, praefecto tradituri. Hic, statim apertis tabellis, singula deinceps suffragia actis inferri jubet, qui designatus a plurimis fuerit pronuntiat, tabulas denique, electorum omnium, excepto eo qui selectus sit, instructas subscriptione, ad praesidem districtus perferendas curat. Si paritas calculorum exstiterit, factitandum illud est, quod §^{pho} praecedente indicavimus [3].

Ad pontificiorum ordinis legatos constituendos duplex requiritur electio. Primum enim ad uniuscujusque sedem decanatus, aut ruralis ambactus aut toparchiae, prout alterutri horum tribunalium quisque subjectus est, indicentibus judicibus [4], quotquot in illo habentur suscipiendae delegationis, secundum edicti Tit. I § 3, capaces antistites, sive in eodem omnes

---

[1] Ibid. l. c. § 16. [2] Ibid. l. c. § 17, b. [3] Ibid. l. c. § 18.

[4] De horum tribunalium (Landgerichte et Herrschaftsgerichte) compositione variisque speciebus, tum de auctoritate, juribus atque officiis iisdem attributis videndus est SCHMELZING, op. l. V. II, §§ 108—110.

habitent districtu sive minus, electoris designandi gratiâ advocantur. In hacce autem concione officium decano incumbit vota scripto mandata colligendi inque tabulas referendi, has vero suffragantium omnium subsignatione confirmatas, per eosdem, quibus auctoribus initus consessus fuit, judices cum praefectis districtui communicandi. Quae presbyteria nullis adsignata decanatibus fuerunt, cum maxime vicino eligunt communiter inque eodem sacerdotes ipsorum electores constitui possunt [1]. Tum vero in singulis districtibus decanatuum electores nominati ad illorum legatos designandos in suffragia mittendi sunt, nunc quoque tabellis inscripta vota sua, adjunctis symbolo verbisque jurisjurandi solemnibus, edituri. Illud igitur agat districtui praefectum necesse est, ut electorum perscripta series iis omnibus, de quibus sibi deinceps innotuerit, ea ratione, quam circa nobilium possessorum advocationem definitam vidimus, tradatur. Qui magistratus, in aperiendis coram quinque proximis electoribus tabellis caeterisque deinceps factitandis, quae ad suffragiorum recensionem aestimationemque pertineant, eumdem pariter sequi ritum jubetur, quem, cum de nobilium ordinis electionibus ageremus, supra exposuimus [2].

Quandoquidem vero in Rhenano circulo pontificiarum dignitatum paullo diversa descriptio diversique gradus obtinuissent, fieri minime potuit, ut memorata de hujusce ordinis electionibus placita, uti caeteris regni provinciis, ita isti quoque prorsus convenirent. Inde igitur peculiaria fluxerunt decreti 5 Octobr. 1818 de

---

[1] Edict. de conv. ord. l. c. § 19.
[2] Ibid. l. c. § 20, coll. § 14 et 15.

hocce argumento regioni illi constituendo praecepta, quorum primum fuit, quod, propter regulam edicti de conv. ord. Tit. I § 19 propositam, quum nonnisi optimo jure (selbstständige) sacri antistites suscipiendae legationis capaces habeantur, succursales, id est adscriptitii in Rhenano circulo sacerdotes, quippe longe minori utentes conditione, mandatarii in conventum publicum designari minime possent. Cui rei consentaneum esse porro decernitur, ut, quae edicto illo ordinata fuissent, seligendis unoquoque in decanatu electoribus comitia, haec Rhenano in circulo minime usurparentur, verum ibi triginta et unus singularum particularum antistites (Kantons-Pfarrer) pro legitimis electoribus haberentur, legatos ex suo corpore justa multitudine designaturis. Denique cautum, ut, quum neque ruralia neque toparchalia in Rhenano circulo adessent tribunalia, regendum illic eligendi negotium ambactuum commissariis (Landcommissarien) attribueretur [1].

---

[1] Schmelzing, op. c. V. I, § 2, not. 10, p. 11. Quod administrandi ritum attinet, in duodecim Rhenanus circulus distributus etiamnum est regiones, quibus singulis singuli praepositi sunt commissarii ea ferme utentes auctoritate, quam sub Francico imperio vicariis praefectorum (sous-préfets) competiisse noverimus, nisi quod his terrarum tractus longe ampliores subjecti fuissent. Est quoque minoris ordinis in angustas particulas (Kantone) divisio, quarum unam et triginta Rhenanus ager universus complectitur. Urbes autem pagique hoc in circulo haberi dicuntur septingenti quinquaginta quatuor, ex quibus tamen quum fere plures eidem communiter pareant burgimagistro, subjectos tali magistratui ambactus (Bürgermeisterämter) haud ultra trecentos septuaginta quatuor illic reperiri constat. V. Staatslexikon, 1. l. p. 166.

§ 6.

De urbium assimilatorumque urbibus pagorum legatis designandis.

Nequeunt sane de urbanorum hominum electionibus recte intelligi aestimarique legum praecepta, nisi, quibus, tamquam fundamento, omne jus omnemque rationem eligendi unice superstructa reperimus, conditionem et instituta municipiorum, tum magistratuum in illis descriptionem, ipsorum denique civium circa rem communem procurandam auctoritatem, prius breviter consideraverimus. Quod idem quum haud minus de ruralibus iis valeat communionibus, quarum conjunctione, si popularium institutum delegatorum spectes, ultima in civitate hominum classis efficiatur, similem de his quoque praemittamus disquisitionem necesse futurum, alteri illi eo commodius deinde subjungendam, quo magis et praecipua quaedam placita ad utrumque hoc genus peraeque referuntur et, propter arctam ambarum partium necessitudinem, singulare Bavarici legumlatores edictum universae hujusce argumenti constitutioni destinaverunt.

Nobilissimum igitur illud edictum [1], quod ipsius pro-

[1] Legitur hoc edictum in: Gesetzblatt für das Königreich Baiern, 1818, N°. V, p. 49—96; tum maxima sui parte apud SCHMELZING, op. l. V. I, §§ 114—118, p. 356—394; ut alios, qui illud exscripserunt, taceamus. Atque hanc ordinationem respiciens, in prooemio legis publicae civibus se vindicasse rex professus est: »Wiederbelebung der Gemeindekörper durch die Wiedergabe der Verwaltung der ihr Wohl zunächst berührenden Angelegenheiten." PÖLITZ, Europ. Verfass. V. I, P. I, p. 130, ordinandae rei municipalis in Bavariâ consilium referens, »Besonders" inquit »gehört es aber zu den unsterblichen Verdiensten Bayrischer Staatsmänner, dass sie erkannt hatten, eine zweckmässige

mulgationem legis publicae novem diebus antecessisse, supra jam observavimus, eximiis laudibus hoc potissimum nomine a multis celebratum est, quod, tollendis, quae eousque de eadem re viguissent, institutis, praesertim condita Napoleonteo tempore diei 24 Sept. 1808 ordinatione [1], utut nihil detrahendum universae civitatis moderatorum juribus officiisque sanciverit, municipalibus tamen hominibus libertatis auctoritatisque modum ita probabilem vindicaverit, ut in variorum civilium ordinum serie ac veluti gradatione perquam illi honorificam stationem adipiscerentur [2].

Primum quidem, quod ad communionis municipalis (Gemeinde) definitionem, cautum hocce edicto invenimus: 1) ut quotquot, sive urbes, qua appellatione in singulis etiam suburbia nec non proxime circumjacentes

---

Verfassung müsse von einer neuen, zweckmässigen Gestaltung der Gemeinden ausgehen. Denn soll der Organismus des Staats ein in sich zusammenhangendes, nothwendiges, alle Theile gleichmässig umschliessendes Ganzes bilden, so muss die neue Gestaltung nicht von oben herab beginnen, sondern von unten hinauf anheben." De communionum in Bavariâ statu, juribus, administratione peculiaria scripta ediderunt SCHMELZING, Das Rural-Gemeindewesen im Königreiche Baiern, Würzb. 1817 et 1818; G. DÖLLINGER, Die Verfassung und Verwaltung der Gemeinden in Baiern nach dem Edicte über das Gemeindewesen, nebst den darauf bezüglichen Regulativen und Verordnungen, mit besonderer Rücksicht auf den Gebrauch für städtische Beamte und Gemeindevorsteher, zusammengestellt, Münch. 1819, II V.

[1] Edict. de futura municipiorum constitutione et administratione, d. 17 m. Maji a. 1818, in f. prooem. Inserta fuerat ordinatio d. 24 Sept. 1808 in: Bayr. Regierungsblatt, 1808, N°. LXI, p. 2405—2431.

[2] Vid. J. C. VON ARETIN et C. VON ROTTECK, Staatsrecht der konstitutionellen Monarchie, 1828, V. III, c. 2, § 2, not. 1 in f; F. BÜLAU, Geschichte Deutschlands von 1806—1830, Hamb. 1842, p. 535; PÖLITZ, Die Staatswissensch. im Lichte unsr. Zeit, V. IV (Staatenkunde) p. 376.

agri (Burgfrieden) comprehendendi, sive minoris amplitudinis oppida, quibus forum rerum venalium suppeditaret, sive denique pagi universitatibus, ad conditae usque legis tempus, per se singuli fuissent adnumerati ac tum proprium rebus suis procurandis aerarium habuissent, tum certa jura municipalia exercuissent: iisdem communionum natura, facultates, officia in posterum etiam forent attribuenda [1]. 2) Ut terrarum tractus illi, quibus patrimonialis praeposita fuisset jurisdictio, unam pluresve communiones ita complexuri essent, si, in continuam seriem omnibus partibus dispositis, aptorum conclusorumque formâ corporum undique cernerentur [2]. 3) Ut, ubi plura loca spatii atque momenti exigui vicina sibimet invicem reperirentur, sive pagi essent propriis reditibus propriisque juribus utentes nullis, sive praedia, molae aedificiave solitaria, haec aut in novae speciem universitatis conjungerentur aut illi, a qua minimo distarent intervallo, adsociarentur communioni [3]. Quae vero de componendis communionibus insuper provisa fuerunt, utut satis per se memorabilia, silentio tamen a nobis praetermittentur, quum ad nostri quidem illustrationem argumenti, cujus scilicet gratiâ hanc digressionem instituimus, nihil pertinere videantur [4].

Sequitur specierum, in quas distinguuntur communiones, indicatio. Hac autem duplicis sunt generis, prout aut urbes vere sic dictae deque minoribus oppidis ampliora significentur aut de ruralibus agatur universitatibus, tenuiora oppida, pagos ac loca solitaria com-

---

[1] Edict. de mun. const. et adm. Tit. I, § 1.
[2] Ibid. l. c. § 2. [3] Ibid. l. c. § 3. [4] Ibid. l. c. §§ 4—7.

plectentibus [1]. Priori generi tres rursum classes subjiciuntur, quarum discriminis ratio in urbanorum incolarum posita est multitudine, ita ut ad primam classem illae omnes urbes referantur, quas haud pauciores quam bis mille inhabitent familiae; secunda minores contineat, familiis tamen frequentatas ultra quam quingentis; reliquae autem urbes nec non pagi urbibus assimilati conjunctim tertiam classem efficere censeantur [2]. Nulli vero harum classium at ruralibus communionibus illa exigua oppida adnumerari jussa sunt, quae sive numquam antehac proprium habuissent magistratum sive sumtus habendo magistratui necessarios amplius perferre aut nollent aut non possent [3].

Pro legitimis municipii sociis ii tantum censendi sunt, qui tum stabile sibi posuerint intra fines illius domicilium, certe sedem aliquam in ea habeant rerum suarum domesticarum, tum ibidem aut fundorum vectigalium utantur dominio aut gravata simili onere exerceant opificia [4]. Excluduntur igitur, quotquot neque tributum persolvunt opificiale nec domum, nisi locationis titulo, inhabitant; quotquot, etiamsi terras jurave censititia intra communionem acquisiverint, alibi tamen degentes, aedes ad habitandum in ea nullas possident [5].

---

[1] Ibid. T. II, § 8. [2] Ibid. l c. § 9.

[3] Ibid. l. c. § 10. Uti alibi, sic in Bavaria quoque regulam universe valere invenimus, in quibus municipiis varii generis opificia, rerum fabricatio mercaturaque praecipuo studio tractentur, haec oppidorum; quae vero potissimum dedita sint agriculturae, haec ruralium ordini communionum adnumerari. V. Staatslexikon, V. II, p. 166 (v. Rheinbaiern.)

[4] Ibid. T. II, § 11. Veris dominis fructuarios emphyteutasque aequiparari, mox docemur, § 15.

[5] Ibid. l. c. § 13.

Quibus vero extra municipium victitantibus et domus in illo et agri suppeditent, hi civium aliquem lege jubentur designare, qui, quod ad societatem communionis, vices ipsorum impleat juriumque iis hoc nomine competentium fungatur exercitione. Quali deficiente mandatario, in colonum praedii sui, municipium incolentem eamdem facultatem tacite contulisse dominus existimatur [1]. Caeterum ea magistratus urbani instructi sunt auctoritate, ut, quoties profuturum illud saluti communi intellexerint civiumque adstipulati fuerint procuratores, ad honorem juraque civitatis alios etiam praeter memoratos incolas, salva regis confirmatione, possint promovere [2].

Duo potissimum capita jura haec civitatis continere dicuntur. Primum enim, ad quamvis deliberationem iis de rebus communibus instituendam, quas populi subjectum iri suffragiis ipsa lege decretum fuerit, cuncti cives conditionibus vere satisfacientes admittuntur. Deinde, honorum magistratuumque municipalium capaces iidem habentur, dummodo, quae insuper capessentibus illos praescribuntur, plane fuerint assecuti [3]. Quibus juribus duplex, ut par est, respondet officium, tum assidue in populi comitia ventitandi, tum quaecumque ad sese munera publica deferantur, nisi justam legeque sancitam excusationis causam afferre possint, suscipiendi ac probe fideliterque per omne tempus legitimum retinendi [4]. Tertia his subjungitur obligatio in perferendis pro virili parte communibus oneribus posita. Quorsum scilicet omnia illa pertinent, quae, cunctorum

[1] Ibid. l. c. § 14. [2] Ibid. l. c. § 16. [3] Ibid. l. c. § 17.
[4] Ibid. l. c. § 19, N°. 1 et 2. Repudiandorum munerum causae legitimae exponuntur § 77.

civium felicitatis gratiâ, sive pendendi nomine tributi sive officii praestandi injungantur; de quibus, nisi aliud quid ex propriis locorum juribus singularive civium profluxerit voluntate, hanc receptam universe regulam invenimus, jura commodaque societatis uti aequabili prorsus ritu omnes inter socios distribuantur, ita parem his sortem in tolerandis oneribus incumbere [1].

Quodcumque cives in comitiis decreverunt, scitum communionis (Gemeinde-Beschluss) appellatur. Quod tamen ratum haberi non potest, nisi condendo illi duae tertiae sociorum partes interfuerint [2]. Saepe vero cives in selectos procuratores rerum suarum gestionem conferunt, unde proprium exstitit magistratuum genus, quorum gravissimum esse in moderandis municipiis officium, mox videbimus [3].

Quae hactenus exposuimus ad ambas communionum species peraeque referuntur; at administrandi ratio alia in urbibus majoribusque pagis, alia in ruralibus communionibus usurpatur. De illis jam videamus; harum conditionem in §pho sequenti adumbraturi sumus.

Eorum igitur, qui oppidanis hominibus utraque in classe praepositi sunt, tres veluti ordines distinguuntur,

---

[1] Ibid. l. c. § 19, N°. 3.

[2] Ibid. T. IV, §§ 36, 37, coll. §§ 74 et 104. Caeterum valere scitum communionis nullum potest, nisi in eamdem sententiam major pars praesentium sociorum consenserit. Quodsi paritas exstiterit suffragiorum, illud decerni placitum jubetur, quod a municipii praeside (Gemeinde-Vorsteher) commendatum fuerit. Absentium vices, nisi eorum, de quibus cautum est T. II § 14, suppleri a praesentibus non debent. Nequeunt denique de propriis aut civi alicui aut hominum classi rebus scita condi, nisi quae horum ipsorum fuerint adsensione comprobata. Vid. T. IV, §§ 38, 39, 41.

[3] Ibid. l. c. § 42.

quorum primum proprie sic dicti civiles magistratus componunt; alter selectorum est procuratorum, quos ex corpore suo cives designaverunt; ad tertium denique vicorum in majoribus urbibus praetores (Districts-Vorsteher) referuntur [1].

Magistratus universo praesidere dicuntur municipio simulque et aerarii custodiâ et quarumvis rerum communium funguntur administratione [2]. Eorum paullo diversa habetur descriptio pro variis, quas indicavimus, oppidorum classibus. Ad primam enim classem quotquot urbes pertinent, ejusmodi magistratuum utuntur collegio, ut adscripti illi habeantur: *a*) burgimagistri duo; *b*) consiliarii, in quibus juris scientia requiritur, bini, trini quaternive; *c*) consiliarius aedificandi artis peritus, ubicumque scilicet multus ejus esse usus videtur; *d*) cives denique decem aut duodecim, ex illo potissimum hominum genere desumti, cujus in opificiis tractandis collocata sit industria [3]. Omittimus tum graphiarios tum minoris ordinis scriptores, accensas, famulos auxilium magistratibus subministrantes [4]. Regendae autem pecuniae duumviri, quorum alterum jurisconsultum, opificiarium alterum esse oportet, ex magistratuum collegio seliguntur [5]. In singulis vero alterius classis urbibus singuli tantum instituuntur burgimagistri, singuli binive jurisperiti, cives autem in consilium adsciscendi octoni denive; deest omnino praefectus aedificationi, at proprium habetur munus notarii (Stadtschreibers) [6]. Tertiae postremo classi adnu-

[1] Ibid. l. c. § 45.
[2] Ibid. l. c. § 46.
[3] Ibid. l. c. § 47, N°. 1.
[4] Ibid. l. c. § 47, N°. 4. init.
[5] Ibid. i. c. § 47, N°. 1.
[6] Ibid. l. c. § 47, N°. 2.

meratis oppidis, si a burgimagistro recedas, haud alii ac delecti cives seni octonive urbanusque scriptor attribuuntur magistratus. In utraque classe, qui aerarii curam obeant, singularem pluresve socios designari a collegio necesse est [1].

Omnium oppidorum tum burgimagistri tum scriptores urbani literarum studiis in gymnasio exercitati fuisse debent, sed requiritur etiam, ut per aliquot spatium annorum ejusmodi negotia tractaverint, quae futuris ipsorum officiis optime censeantur convenire. In prima classe alter burgimagistrorum, in hac et secunda juris periti senatores, cursu academico peracto, solemnibus examinibus comprobati sunto. Ultima burgimagistris injuncta conditio est, ut rei immobilis intra fines communionis utantur possessione [2]. Ex opificibus vero delecti iisdem satisfacere tenentur, quas procuratoribus civium praescriptas esse, mox videbimus; at cavendum, quantum fieri potest, ne honori illi istud genus opificum admoveatur, quibus temperandis assidua ab aedilibus incumbi soleat diligentiâ [3]. Prohibetur inter magistratus omnis in lineâ recta cognatio affinitasque: in lineâ vero obliqua, nisi quae primi est gradus, omnis conceditur [4].

Quod ad tempus munerum gerendorum attinet, sancitum reperimus, ut quicumque leviores, quas indicavimus, asseculi conditiones, dignitate forent ornandi burgimagistrorum, eamdem per sexennium retinerent, hoc vero exacto, abdicare sese munere deberent, nisi qui, in singularis testificationem fiduciae, ad illum de-

[1] Ibid. l. c. § 47, N°. 3. [2] Ibid. l. c. § 48, al. 1 et 2.
[3] Ibid. l. c. § 48, al. 3, coll. § 76. [4] Ibid. l. c. § 49.

nuo honorem promoverentur; illi vero burgimagistri atque consiliatores, qui amplioribus praeceptis, secundum edicti Art. 48, obtemperassent, in triennium quidem constituerentur, verum decedentes iterum eligi civium suffragiis possent: quod si adepti fuissent, uti antea quoque certa percepissent stipendia, ita nunc ad eam normam remunerari debere, qui, justa proportione, regios circa magistratus usurpetur [1]. Decretum porro est, ut lectos ex civium corpore magistratus per sexennii spatium munere suo fungi oporteret, hac iis imposita decedendi conditione, ut, tertio quoque anno, altera eorum pars, nisi instaurata statio aut omnibus aut nonnullis fuisset, relinquere eam cogeretur [2]. Perpetuam vero, donec aetatem degant, muneris gestionem soli scriptores urbani aedificandique magistri, ex municipalis edicti placitis consecuti fuerunt [3].

Lex omnium horum magistratuum, praeter scriptores urbanos, designationem civium procuratoribus attribuit [4], auspiciis eam peragentibus, quatenus ad primam classem urbes referuntur, regii ex provinciae gubernatoribus mandatarii, quatenus ad secundam tertiamve, judicum aut ruralium aut toparchalium; quibusdam tamen exceptis in media classe oppidis, ubi eligendi negotio is

---

[1] Ibid. l. c. § 50, al. 1 et 2. Minorum conditionum burgimagistris certa salaria per gerendi muneris tempus attribuuntur. Ibid. al. 4.

[2] Ibid. l. c. § 50, al. 3. Neque his neque notariis aedificationique praefectis idonea remuneratione interdicitur. Ibid. al. 5.

[3] Ibid. l. c. § 50, al. 5.

[4] Ibid. l. c. § 52, al. 1, coll. § 81, N°. 1. Legitimum est in hac nominatione, ut nonnisi is renuntietur, qui a pluribus procuratorum commendatus fuerit neque sufficit ut tot candidato alicui suffragia, quot caeterorum nemini, obtigerint.

praesidere jubetur, qui, publicae securitatis custodiendae gratiâ, magistratuum in iis collegio adjungi soleat, regis nomine commissarius [1]. Electis autem quo capessendi muneris rite suppetat facultas, nominationem confirmaverint necesse est, in suprema quidem classe praefectus rebus internis minister, provinciae vero moderatores in caeteris [2].

De concessa his magistratibus auctoritate variisque in decreto municipali enumeratis officii illorum partibus atque speciebus nostrum profecto non est copiose disserere. Sufficiat indicavisse, omnia illa necessario huc referri, quae jurium municipalium intra communionis universae fines exercitione contineantur [3]; hoc igitur nomine, magistratuum collegio tum reliquos omnes socios obnoxios haberi, tum omnium institutorum communi tuendae prosperitati communibus sumtibus conditorum subjectam fuisse administrationem [4], tum scriptorum urbanorum aliorumque omnium inferioris generis ministrorum et accensarum, partim procuratorum circulique gubernatorum adsensu impetrando, designationem temperationemque competere [5], tum porro tributorum caeterorumque municipalium onerum incumbere distributionem [6], tum circa pauperum tutelam reique sacrae et scholasticae regimen certas quoque partes ob-

[1] Ibid. l. c. § 53, al 1. De regio illo commissario, in quibusdam primae secundaeque classis urbibus magistratuum collegio adsociari solito, mentionem etiam factam reperimus, §§ 70, 122 et 126. Illius autem muneris descriptionem continet decretum regium d. 28 Sept. 1818, quod exscriptum legitur apud SCHMELZINGIUM, V. II, § 116, p. 379-387.

[2] Edict. de mun. const. et adm. T. IV, § 53, al. 2.

[3] Ibid. l. c. § 55. [4] Ibid. l. c. § 55 et 57.

[5] Ibid. l; c. § 58, coll. § 81, N°. 2.

[6] Ibid. l c. § 61.

tigisse [1], tum denique securitatis quietisque vindicationem, sequendis normis ea de re publice constitutis salvaque commissariorum huc illuc a rege mittendorum auctoritate, legibus attributam fuisse [2]. Quae tamen omnia non ita pendere a magistratuum arbitrio existimanda sunt, ac si illi de cunctis muneris sui partibus proprio omnino marte statuendi uterentur potestate, quum et in aliis multis gerendis ordinandisque et in iis praesertim obeundis, quae bonorum municipalium custodia moderamenque complectantur, confirmatione eos indigere certum sit, in prima quidem classe circularium gubernatorum, in caeteris vero ac strictiore etiam necessitate, judicum aut ruralium aut toparchalium, nonnisi adsentientibus provinciae rectoribus, de quacumque re graviori decernentium [3].

Jam saepe in hac expositione civium procuratores

---

[1] Ibid. l. c. § 66.

[2] Ibid. l. c. §§ 67—72. Cunctis in oppidis, excepto Monachio, urbe regni primaria, ubi proprii instituti sunt *politiae*, quae vulgo dicitur, moderatores, tuendae quietis securitatisque officium magistratibus demandatum reperimus, at varia exercendi conditione, si quidem minorum urbium curiis ruralibus toparchalibusve subordinatarum eam hac in re normam sequi jubentur magistratus, quae in edicto de jurisdictione patrimoniali definita legatur; majores vero a sola pendentes provincialium gubernatorum auctoritate, latiorem sibi concessum agendi ambitum iis convenienter explere debent praeceptis, quae super modo politiae regendae, propria ordinatione, anno 1808, edicta fuerint. Vid. §§ 67, 68 et 69. Caeterum penes magistratus etiam habentur veniae concessiones iis impertiendae, qui opificiorum tractationi operam dare cupiant (Gewerbs-Gerechtigkeiten); porro municipalium bonorum conservatio neque non gesti muneris rationes quotannis ab iis exigendae, qui aerarii tum ipsius communionis tum pertinentium ad eam universifatum fungantur administratione. Vid. §§ 59, 60, 63.

[3] Ibid. T. V, §§ 122—128.

memoravimus. Qua dignitate populi qualemcumque in res urbanas administrandas efficaciam potissimum contineri, ipsum nomen satis indicare videtur. Neque rem considerantibus hanc redargui suspicionem arbitramur. Etenim plebeji, quos diximus, consiliatores, utut in magistratuum collegio elementum, si hoc uti verbo liceat, admodum componant populare, tamen et numero longe pauciores instituuntur et, quum haud secus ac reliqui magistratus a procuratoribus nominentur, universorum sane civium delectum, nonnisi triplici concione velut interjacente, referre dicendi sunt. At procuratores non solum ter istis antecellunt multitudine [1], verum etiam, quippe electorum, quos omnium votis creari jus est, calculis designati, ab ipsius populi suffragiis, tamquam fonte suo genuino, propius omnino repetuntur. Accedit quod, licet a magistratuum collegio sejuncti, suam nihilo minus auctoritatem circa quodvis paullo majoris momenti gerendum negotium interponunt [2], ipsorum igitur muneris vis atque ratio in eo praecipue versatur, ut magistratuum potestati salubre temperamentum objiciant, neve ab illis quidquam suscipi facile possit, quod civium juribus commodisque repugnet, horum ipsorum nomine diligentissime prospiciatur.

Congregati igitur singularum communionum socii, quotquot omnibus Bavaricae civitatis juribus utuntur, viros ex suo corpore praescripta multitudine seligendos, regii mandatarii sub auspiciis, suffragiorum latione constituere jubentur, quibus eligendorum procuratorum deinde incumbat officium. Quae autem primae classis urbes sociorum supra quatuor millia contineant, in his

---

[1] Ibid. T. IV, § 79, al. 1. [2] Ibid. l. c. §§ 81—84.

eo numero creari electores necesse est, qui partem illorum quadragesimam aequiparet; ubicumque vero in eadem classe pauciores quater mille civibus habitare apparet, tot sunt instituendi, quot sociorum multitudo trigies complectitur; in alterius porro classis oppidis vicesima; in tertia postremo classe decima civium pars electorum fungi munere tenetur. Comitiorum illorum celebrandorum is modus est, ut quovis in oppido, singulatim per vicos aequali fere spatio definitos, rato numero designentur electores[1]. Susceptum exsequendi gratiâ mandatum, universi mox electores in curiam urbanam congrediuntur delatamque ad se nominationem, simili auspicatu, ea quidem lege perficiunt, ut, quotquot ex candidatis plura quam caeteri singuli assecuti fuerint suffragia, hi civium procuratores causam totius acturi communionis deinceps renuntientur [2]. Quot autem singulis locis instituantur procuratores modo significavimus, plebejos consiliarios ter multitudine vinci ab iis oportere dicentes; at magni interest exponere, haud sane omnes, quibus plenum jus municipalis societatis suppeditet, hujusce obeundi muneris capaces propterea haberi. Sunt enim procuratores ex iis urbanis hominibus desumendi, qui non tantum integra civium Bavarensium utantur conditione, verum tributi insuper in

---

[1] Ibid. l. c. § 74.

[2] Ibid. l. c. § 75. Finita electione, omne desinit horum electorum officium. V. § 80. Notamus autem, prodiisse, d. 5 m. Aug. 1818, regiam ordinationem, qua modus municipalium peragendarum electionum ipsorum scilicet electorum, procuratorum, magistratuum, in urbibus: rure vero eorum, quibus selectum collegium efficiatur, accuratius sit definitus. V. Gesetzblatt für das Königr. Baiern, 1818, N°. XXI, p. 477—538; SCHMELZING, op. c. V. I, p. 376, not. 1.

suo quique oppido maxima pensione censeantur, id est, quod primam urbium classem attinet, tertiae, quod vero secundam, dimidiae, quod denique infimam, binis tertiis isto nomine excellentibus civium partibus adnumerentur. In quam tamen computationem sola venire jubentur bonis immobilibus opificiisque, intra fines urbanos imposita vectigalia (Haus-, Gewerbe-, und Rustical-Steuern)[1]. Arcentur porro a dignitate procuratoria mulieres, minorennes atque ii, quibus bonorum administratione interdictum est, tum, quotquot criminis delictive alicujus rei facti, quaestioni coram judice instituendae subjecti fuerunt aut non prorsus absoluti exinde discesserunt, denique illi, quorum solvendo esse desinentium bona creditoribus adjudicanda sunt[2].

Per novennium autem officio suo funguntur procuratores eorumque singulae tertiae partes, singulis trienniis, nisi instauratum aut omnibus aut quibusdam fuerit mandatum, ad privatorum reverti vitam solent[3].

Competentem procuratoribus auctoritatem, cujus in creatione ac temperatione magistratuum praecipuam versari efficaciam supra jam animadvertimus, lege ita descriptam reperimus, ut negotiorum in communionibus obeundorum nullum ferme, quod quidem paullo gravius cumque civium salute ac prosperitate conjunctius existimandum sit, nisi adsensu illorum rogato, pertractari a magistratibus concedatur[4]; iisdem vero etiam, quotiescumque aut agitari quid deprehenderint ejusmodi, quo in discrimen municipum felicitas adducatur, aut salubria proponendi super rebus urbanis consilia arripi a se debere

---

[1] Ibid. l. c. § 76.
[2] Ibid. l. c. § 78.
[3] Ibid. l. c. § 79, al. 2—4.
[4] Ibid. l. c. § 82.

censeant opportunitatem, ultro, quid publice fieri oporteat, cum magistratibus liberum sit communicare [1]: magistratus autem ipsi non tantum aurem praebere illorum admonitionibus teneantur nec recedendi ab eorum sententiâ, nisi veniam superioris ordinis gubernatores indulserint, utantur facultate [2], verum etiam, si, de quibus conquesti illi fuerint, vitiis, emendare ea noluerint, violati possint officii apud praefectos provinciae judicesve aut rurales aut toparchales a procuratoribus accusari [3].

Quibus omnibus consentaneum est, quod edicto decerni videmus, praeter ordinaria comitia, toties a procuratoribus iniri solita quoties eorum approbationem requisiverint magistratus, deliberatum proprio marte congredi iis licere, quandocumque ipsi civium rebus profuturum illud arbitrentur. In hisce autem coetibus, quorum habendorum certiores quoque tempore facti esse debent magistratus, moderamine praeses fungitur, sociorum suffragiis in triennium, simul cum actuario electus [4]. Nullum condi a procuratoribus decretum potest, nisi de quo binae tertiae collegii partes sententiam rogatae fuerint inque idem deinde placitum plures discesserint suffragantium [5]. Caeterum, ut in muneris sui exercitione gnavi assiduique perseverent procuratores, sapienti instituto, poenis in neglectum officii sancitis, prospexerunt legislatores [6]. Notamus denique, hosce municipum vicarios a nullis, quibus reliqui cives premantur, oneribus immunes haberi; iisdem vero stipendium ex aerario nequaquam attribui [7].

---

[1] Ibid. l. c. § 84. [2] Ibid. l. c. § 83.
[3] Ibid. l. c. § 84, in f. [4] Ibid. l. c. §§ 85, 86.
[5] Ibid. l. c. § 87, coll. §§ 37 et 38.
[6] Ibid. l. c. § 86. [7] Ibid. l. c. § 88.

Ad tertium rectorum urbanorum veluti ordinem vicorum praetores referuntur. De quorum tamen officio, quippe in una posito regionum, in quas descriptae majores urbes fuerint, curatione [1], quietis ibi et securitatis vindicatione ac sustentatione pauperum, earum denique omnium rerum, quae necessitatibus usibusque communibus intra eas inserviant, viarum scilicet, aquaeductuum, pontium, caeterarum conservatione refectioneque [2]: a nostro quidem argumento plane alienum est copiosius disseruisse. Legitimum autem hujusce muneris gerendi tempus triennium habetur, quique illud obituri sunt, a magistratibus designati, tum in ipso vico, cui quisque eorum praeficiatur, aedes dominio teneant, tum iis omnibus satisfaciant necesse est conditionibus, quas injunctas civium procuratoribus fuisse, supra exposuerimus [3].

Quae de futuris communionum in Bavariâ juribus et administratione statuit, d. 17 Maji 1818 ordinatio, in Rhenanum circulum, ad hunc usque diem, quantum quidem sciamus, introducta non est. [4]. Quamquam tempus nunc prope adesse, quo ad normam eorum placitorum, quibus oppidani in reliquis provinciis homines utantur, vigentia etiamnum apud cives Rhenanos convertenda sint ea de re instituta, vel illis docemur, quae ad legem hoc super argumento conficiendam, a regni gubernatoribus paucis hisce annis agitata fuerint [5]. Usurpatam hodieque rationem praecipua Francicae legis capita referentem huc potissimum redire constat. Quot-

---

[1] Ibid. l. c. § 89. [2] Ibid. l. c. § 91. [3] Ibid. l. c. § 90.

[4] Schmelzing, op. c. V. I, § 2, not. 10, p. 11; Staatslexikon, V. II, p. 166 (v. Rheinbaiern.)

[5] Staatslexikon, ibid.

quot in quoque municipio cives habentur ferendorum suffragiorum ex praeceptis juris publici participes, communis consilii socios aut undenos aut binos vicenosque aut trinos denique ac tricenos, prouti variae urbium amplitudini optime convenire existimatur, ita eligunt, ut, quibus plures quam caeteris singulis calculi obtigerint, hi deinceps rite nominati censeantur. His autem consiliatoribus munus incumbit, quo et burgimagister et amplioribus in oppidis unus duove adsessores constituantur, trinos sui collegii socios circuli moderatoribus proponere, qua designatione facienda, ad denos aut vicenos aut tricenos illorum reduci multitudinem necesse est. Haec quoque burgimagistri et adsessores communia habent, quod utrique omni plane stipendio carere, munus vero suum per quinquennium retinere jubentur. At curiae honores per integrum decennium urbanis consiliariis permittuntur, decedendi lege singulis quinquenniis alteri ipsorum parti imposita, relicta tamen novum accipiendi mandatum libertate [1].

---

[1] Promulgata est, d. 17 Nov. 1837, lex de municipalium consiliatorum in Bavariâ Rhenana designatione, qua tum alia immutata fuerunt, tum sic deminutus consiliatorum in quoque municipio numerus, ut, pro varia habitantium multitudine, additis burgimagistro adsessoribusque, nec pauciores quam octo nec plures quam viginti septem forent constituendi; tum etiam, in trinas classes oppidis dispositis, prout illa sive decies mille, ad minimum, sive bis mille et quingentis, sive denique paucioribus incolis frequentarentur: cautum, ut senatorio muneri, in suprema classe eos tantum admoveri liceret, qui tertiae, in media, qui dimidiae, in infima classe, qui duabus tertiis maximo tributo gravatis habitantium partibus accenserentur. Vid. G. F. KOLB, Die dermalige Gemeindeordnung in der baierischen Pfalz, mit Andeutung der wesentlichsten Mängel derselben und Vorschlägen zur Begründung einer neuen Communalorganisation in: Neue Jahrbücher der Geschichte und Politik, 1843, N°. 1, p. 46, sqq.

Ut post hanc satis copiosam de rebus municipiorum digressionem, unde defleximus, eo tandem redeamus, de universi populi mandatarios eligendi ritu urbanis hominibus usitato jam statim dispiciendum nobis est, cui sane intelligendo aestimandoque multum lucis affusura, quae de urbium statu ac regimine praemiserimus, haud injuriâ confidere nobis videmur.

Hunc autem ritum alium esse legimus in oppidis suos in conventum mandatarios singulatim designantibus, alium in iis, quae nominandi istam facultatem nonnisi junctim cum aliis exerceant.

In illis enim (Monachio, Augsburgio, Norimbergâ) simplex comitiorum velut ordo constituendis delegatis usurpatur, quorum legitime electi magistratus, id est titulo illo propria significatione appellati, burgimagistri, consiliarii ac si praeter hos pari honoris gradu aliqui censeantur, neque non civium procuratores, eadem singuli in ferendo suffragio libertate, participes esse jubentur, electionem, praeside hujusce ipsius gratiâ muneris a rege designato commissario, obituri. Cujus scilicet auspicatu convocatis, postquam injunctam electoribus juramenti formulam recitaverint, tabellas numerorum signa continua serie habentes impressa ac deinde collectas permixtasque distribui oportet. Tabellae autem suae quisque elector, quem quosve legatos designari cupiat, eum in modum inscribere tenetur, ut nomina simul et praenomina eorum, tum quibus praecipue incumbant negotiis, adnotet editumque a se votum subscriptione sua corroboret [1]. Ne autem irrita exsistant suffragia, ejusmodi prae ignoratione civibus de-

---

[1] Edict. de conv. ord. T. I, § 21.

signatis, qui suscipiendae legationis ex publici juris praeceptis incapaces habeantur, curandum est, ut, antequam electio instituatur, a magistratu publicis percipiendis administrandisque vectigalibus praeposito, (Rentamte) omnium illorum municipum, qui, tum triennalis habitationis tum conferendi tributi respectu, eligi rite possint, series, ordine servato literarum perscribatur, haec autem, unius certe diei ante celebrandam electionem intervallo, electoribus proponatur, tum in ipso loco habendorum comitiorum, quo inspicere eam omnibus liceat, affigatur [1]. Commissarius, omnibus receptis tabellis, singula, quae lata fuerunt, suffragia deinceps coram electoribus recenseat, pronuntiando, quem cuique additum reperiat, numero, at suffragantium nominibus omittendis, quo scilicet copia unicuique electorum suppetat cognoscendi calculus ipsius an rite exceptus recensitusque accurate fuerit. Qua igitur recitatione si, quotquot adsunt, acquieverint, quid suffragiorum effectum sit latione, binis adscitis magistratibus ac civium procuratoribus natu majoribus, exquiratur ac statim conventui renuntietur. Scripto conceptae electionum commemorationi iidem porro subsignent magistratus procuratoresque, nisi qui eorum ipsi fuerint legati constituti. Denique, hisce omnibus peractis, tum cunctae, quibus vota sua electores inscripserunt, tabellae, tum illa, quam diximus, relatio ad praesidem districtus regium inspiciendae perferantur [2].

Caeterae urbes pagique urbibus adsimilati, quatenus ad primam secundamve classem referuntur (ultimae enim classis oppida, quorum quodque scilicet pauciores

---

[1] Ibid. l. c. § 23. [2] Ibid. l. c. § 22.

quingentis continere vidimus familias, utut caeterum urbibus aequiparentur, si popularem repraesentationem spectes, ad ruralium communionum ordinem pertinent)[1] duplici electionis solemnitate singulos pro districtuum singulorum urbibus venturos delegatos nominant. Namque primum in quovis oppido ii seligendi sunt, quibus istud in communi mandatariorum designatione vices suas implendas largiatur[2]. Quos circa constituendos electores, amplioribus ampliorem, minoribus oppidis minorem concessam facultatem invenimus, hac quidem ratione, ut pro quingenis urbem incolentibus familiis, singuli creari electores jubeantur. Inde vero quod ex hoc electorum corpore unice desumi districtus legatos oportet, sequitur ut quotquot alterum sint munus adepturi omnibus iis satisfacere conditionibus teneantur, quae altero potituris praescriptae fuerint[3]. Penes quos autem horum comitiorum ineundorum sit potestas, qui ferendorum suffragiorum in iis ritus quaeque auspicia instituantur anquirentibus, respondemus, eadem plane super hisce omnibus edictum sancivisse, quae ab urbibus proprios mittentibus legatos usurpari, modo animadvertimus[4].

Altera concilia urbanorum districtus legatorum electioni inservientia, ab electoribus, quos oppidani cujusque districtus homines designaverunt, in illa urbe, quae provinciae caput habeatur, celebranda sunt. Quorsum illi, missis epistolis, convocati, postquam injunctam electuris jurisjurandi formulam pronuntiaverint, moderante districtus praeside binisque ei directoribus adso-

---

[1] Ibid. l. c. § 6. [2] Ibid l. c. § 24.
[3] Ibid. l. c. § 26. [4] Ibid. l. c. § 24, coll. §§ 21, 22 et 23.

ciatis, nominandi sic operentur solemnitati, ut, quae supra exposuimus praecepta, quatenus his etiam comitiis usu venire possunt, accurate deinceps adhibeantur. Quibus observatis, irrita vel sic habebitur electio, nisi tres certe quartae electorum partes, vicariis legitime impeditos excipientibus, ferendis suffragiis interfuerint. Quandoquidem vero, nisi electori constituto, legationem capessere nemini permittitur, in scripturam referri omnium, quibus ista facultas attributa fuerit, series cumque singulis illis, pridie quam in suffragia mittendi sunt, communicari jubetur [1].

Restat ut indicemus Rhenani circuli tum oppida tum rurales communiones, propterea quod ibi deficiat municipale regimen caeteris in provinciis usitatum, a magistratuum procuratorumque congressu creandorum legatorum principium non repetere, verum ad infimi gradus in mandatariorum selectione comitia universos jurium civitatis vere compotes municipes admitti solere, hoc eam ritu obeuntes, qui peculiari super ista re ordinatione (Instruction) comprehensus fuerit [2].

Itaque, si a Rhenanis urbibus recesseris, ubi a civium corpore profectos binis concionum solemnitatibus ad ipsam pervenire nos apparet legatorum designationem, quorumnam velut graduum successione, quo idoneum populari auctoritati imponatur temperamentum, urbanis in Bavariâ hominibus juris, de quo agimus, definita fuerit exercitio considerantibus, patebit, iis quidem in urbibus, quae propriae fruantur honore legationis, comitiorum seriem pro parte triplicium, pro altera qua-

---

[1] Ibid. l. c. § 26, coll. §§ 21 et 22.

[2] Schmelzing, op. c. ibid.

druplicium civium inter universitatem et seligendos mandatarios interjacere. Namque primum, communibus municipum suffragiis aut agrorum dominio aut opificii tractatione conspicuorum, paucos, si illorum spectes numerum, urbanos constitui electores oportere; deinde his procuratorum e locupletioribus viris creationem competere, per novennium, tum in aliis valde gravi munere fungentium tum legatos in conventum publicum civium vice nominantium, hoc tamen in officio socios sibi adjunctos habentium tertiis a sese designatos comitiis nec suae plane exemtos auctoritati magistratus, partim consultos, exercitatos opibusque satis pollentes viros, partim e plebejo ordine desumtos, bonorum tamen haud tenuiori quam ipsos procuratores utentes conditione. Traditae vero similem rationem caeteris in oppidis institui, nisi quod cujusque eorum magistratibus procuratoribusque facultas tantummodo indulta fuit probatos cives, eo ex ordine, unde legati sumi debeant, secernendi, in quorum scilicet universo ex districtu congressorum numero illi etiam habeantur necesse est, qui communibus ipsorum votis, ultima nominatione, oppidorum sint mandatarii renuntiandi.

§ 7.

De agrorum possessorum patrimoniali jurisdictione carentium eligendis legatis.

Superest ut videamus de ritu, quo communionum in Bavariâ ruralium incolae suorum in coetum alterum legatorum peragere designationem jubentur. Sicuti vero urbanas electiones adumbraturi, de urbium statu, classibus, formâ regiminis, magistratuum in iis auctoritate praemonenda quaedam existimavimus, ita nunc

etiam, antequam propositi nobis argumenti tractationem instituamus, infimi ordinis in hac civitate municipia, prout expedire nostris usibus videatur, ad juris publici ductum praeceptorum, age paucis illustrare conemur.

Ruralium communionum, quarum classe quaenam comprehendantur supra significatum est[1], hos cujusque moderamine fungi magistratus reperimus, videlicet: municipii praesidem (Gemeinde-Vorsteher), curatorem municipii (Gemeinde-Pfleger), universitatum municipalium curatorem (Stiftungs-Pfleger), trinos denique aut quaternos aut quinos municipii procuratores (Gemeinde-Bevollmächtigten). Quorum omnium conjunctione civium selectorum effici dicitur collegium (Gemeinde-Ausschuss). Quae vero communiones tum ipsae exiguas tantum opes possideant, tum nonnisi parum locupletes habeant universitates, in his accidere potest ut singulari civi utriusque curationis demandetur officium[2]. At contra, quoties de re aut arctius ad societatem pertinente aut moralem in ea personam scholasve moderandas pauperumve sustentationem respiciente, collegio selectorum decernendum est, in ipsorum concionem sacris in municipio operantem antistitem advocari oportet[3]. Cives in comitiis congregati, judicum auspiciis sive ruralium sive toparchalium, magistratus deligunt. Iidem judices nisi electionem confirmaverint, rata haberi illa non potest[4]. Quum autem ex ipso civium corpore cuncti magistratus desumendi sint, praesidi et ambobus curatoribus haec insuper conditio injungitur, ut in binis tertiis plurimum tributi pendentibus censeantur[5].

---

[1] Edict. de mun. const. et adm. T. I, § 10.
[2] Ibid. T. IV, § 93. 94.
[3] Ibid. l. c. § 94.
[4] Ibid. l. c. § 96, al. 1.
[5] Ibid. l. c. § 95, al. 1.

In triennium vero omnes illae dignitates conferuntur, post hoc tempus denuo capessendi muneris, si ita civibus placuerit, indulta libertate [1]. Prohibendi ab honorum gestione eaedem prorsus causae agnoscuntur, quas circa procuratores urbanos valere suo loco indicavimus [2]. Praeses et uterque curator stipendiis, pro varia locorum amplitudine et rerum, quibus illi incumbunt, momento variis, remunerantur, at nulla mercede collatas in sese partes obeunt procuratores [3]. In aestimando, quali hi rurales magistratus utantur auctoritate, primum animadvertere nos oportet, iis omnibus in pagis, quorum incolae causas suas judicandas agrorum alicui domino subjicere cogantur, integram huic ejusque nomine agentibus illarum partium relinqui exercitionem, quas juris dicundi privilegio contineri, lata de isto ordinatione sancitum fuerit [4]. Selectorum collegii caput praeses municipii censetur. Hujus est, civium scita promulgare ac vicissim jussa decretaque regis ad eorum notitiam perferre hisque ut obsequium praestari a civibus incipiat curare [5]. Caeterum penes eumdem plurima sunt ejusmodi, quae tum interno statui ac rebus municipii, tum incolarum circa bona praedialia juribus rite cognoscendis custodiendisque, data operâ ut probandi certis documentis nullo non tempore suppetat materies,

---

[1] Ibid. l. c. § 98, al. 1.

[2] Ibid. l. c. § 98, al. 2, coll. § 78.

[3] Ibid. l. c. § 99.

[4] Ibid. l. c. § 97, coll. § 106. Partes illas accurate enumeratas descriptasque videas in edicto de jurisdictione patrimoniali, 26 Maji 1818, §§ 84—110.

[5] Edict. de mun. const. et adm. T. IV, § 109, init. edict. de jurisd. patrim. § 103, al. 1.

optime necessario inserviant, qualem scilicet dicimus libri, quo fines juraque communionis, tum agri caeteraeque ipsius dominio subjectae res immobiles accurate recensentur, tabularum etiam domos atque terras, quas singuli incolae possident, cum impositorum iis onerum ac vectigalium significatione adnotatas exhibentium, perscriptionem conservationemque, alia porro hujusce generis complura [1]. Ipsa vero municipii administratione selecti socii funguntur universi. Quo igitur nomine, tum de aliis bene multis decernere solent, tum auctoritatem suam in novis sociis recipiendis interponere, degentium intra communionem pauperum curam gerere, partes quasdam in moderamine rei scholasticae obire, vectigalia publicaque officia inter cives aequabili normâ distribuere [2], imprimis autem rei pecuniariae tam totius municipii quam institutarum communis utilitatis gratiâ universitatum eo modo incumbere temperationi, ut, quos proprie hac fungi monuerimus curatores, hi in omni ferme sui muneris exercitione illorum unice placitis obsequi teneantur [3]. Uti vero magistratus urbanos indicavimus, quodcumque majoris momenti negotium suscipientes celsioris ordinis praefectorum indigere comprobatione, ita selectorum rure collegia iisdem in causis judicum aut ruralium aut toparchalium obstricta habentur auctoritate [4].

---

[1] Edict. de mun. const. et adm. l. c. § 100. Cf. tamen edict. de jurisd. patr. § 103, al. 2.

[2] Edict. de mun. const. et adm. § 101, coll. edict. de jurisd. patrim. §§ 21, 73, 105.

[3] Edict. de mun. const. et adm. § 102, coll. edict. de jurisd. patrim. §§ 96—100.

[4] Edict. de mun. const. et adm. T. V. §§ 129—134.

Quandoquidem vero selectorum collegio adscribi, qui civium corpus universum referant, jubentur procuratores, paucae tantum quaestiones gravissimae relinquuntur, de quibus ad congregatos municipes statuendi facultas pertineat. In suffragia igitur cives vocari necesse est, quoties aut de bonis immobilibus juribusve realibus communioni acquirendis, dividendis alienandisve, aut de novis imponendis officiis tributisve municipalibus ordinandis agi oporteat, aut porro mutuo sumi debere pecuniam existimetur, aut novorum denique sociorum receptio proponatur ejusmodi, qui sive domo exstruenda sive desertis terris colendis sive alio quocumque modo novam velut effecturi sint jurium communium possessionem (neuen Ansiedlern) [1]. Caeterum gesti muneris rationes uterque curator non tantum selectis viris accurate examinandas, verum audiendas cunctorum praeterea civium concioni subjicere jubentur, salva tamen hac etiam in re superiorum potestate magistratuum [2]. In quietis tranquillitatisque publicae vindicatione, maleficorum indagatione prehensioneque, hominum rerumque perniciosarum prohibitione, leviorum adeo delictorum infligenda poenâ correctione, quum illorum agris locupletium, quibus concessa sit jurisdictio, praecipuas in Bavariâ versari partes appareat, in subjectis quidem tali dominio communionibus exigua hoc nomine selectorum civium auctoritas habetur; in reliquis vero, isto quoque munere, duplici, prout sive internae pagi conditioni sive camporum, sylvarum, pratorum aliorumque similium prospiciatur incolumitati

---

[1] Edict. de mun. const. et adm. T. IV, § 104. Cf. SCHMELZING, l. l. p. 386.

[2] Edict. cit. ibid. § 105, coll. edict. de jurisd. patrim. § 99.

(Dorf- und Feldpolizei), designatos fungi moderatores, maxime autem communionis praesidem invenimus [3], tributa selectis facultate, ut, quibus minutis peccatis nonnisi mulcta levis indicta fuerit, horum ipsi poenam exigant [4]. Quod argumentum satis quidem copiose in ordinatione municipali exponitur, at nos diutius moraturum non est, quum jam tempus esse putemus, ut, missa hac de pagorum regimine disquisitione, ad ipsam nos convertamus legatos eligendi rationem, quarto civium ordini, id est rusticis hominibus usitatam.

Sicuti urbes vidimus, paucis exceptis, quibus faustior juris obtigit conditio, bis deinceps ferendis suffragiis permissam sibi electionem absolvere, ita, qui civium rure degentium auspiciis in conventum publicum adsciscendi sunt, e trium concionum serie prodeunt ejusmodi, quarum ab iis, quos proxime antecedens nuncupaverit, quaeque celebretur. Nam primum, singulis in communionibus singulos pluresve nominari oportet mandatarios (Bevollmächtigten); hi deinde omnibus ex pagis congressi, coram judicibus aut ruralibus aut superioris ordinis toparchalibus, certo numero creare solent electores, eam unoquoque in circulo obituros concionem, qua, ultimo tandem loco, populi delegati constituantur [3].

In eo quidem ambae priores electiones conveniunt, quod moderandis iis rurales majorisve ordinis toparchales judices praepositi habentur [4]. Primae autem solemnitati (Urwahl) selecti cives cujusque municipii fun-

---

[1] Edict. de mun. const. et adm. l. c. § 107, coll. edict. de jurisd. patrim. §§ 84, sqq. et § 106.

[2] Edict. de mun. const. et adm. l. c. §§ 117, 118.

[3] Edict. de conv. ord. T. I, § 27.

[4] Ibid. l. c. § eod. in f.

gentes administratione, indicentibus judicibus, operantur, praeter mandatarios, alios totidem ex communione cives delecturi, quos aegrotantibus illis aliamve ob causam impeditis suffici oportebit. Cujus rei peractae testificationem literis consignatam, subscribentibus tum praeside tum duobus insuper sociis, cum isto judicum corpore, quo auctore itum in suffragia fuerit, statim communicari necesse est [1]. Designandis vero lege praescribitur, ut municipium inhabitent, viginti quinque annorum aetatem expleverint tantumque soli possideant, propter quod simplici tributi pensione censeantur trium ad minimum florenorum [2]. Caeterum ii sunt in hujusce juris exercitione gradus instituti, ut quaecumque municipia ducentis pauciores contineant familias, his singuli sint mandatarii nominandi; in quibus vero ducenas pluresve inveniri compertum sit, haec totidem seligant quoties centenas possint familias exhibere [3]. Designatis mandatariis, quaevis curia ruralis ac superioris generis toparchalis ad secundi ordinis comitia progreditur. Quae quia provincialium electorum creationem respiciunt, videre debent provinciae praefecti, ut, quot in quoque coetu renuntiandi sint, opportuno tempore judicum collegiis innotescat. Est vero millenarius familiarum numerus legitimus, quo in singulis judicum ambactibus singuli electores nominentur. Qui igitur ambactus bis mille familias complectuntur, binos, qui ter, trinos, qui pluries, plures eadem proportione constituunt. Familiarum vero numerum aestimantibus, vix mentione indiget, eos omnes omittendos esse municipes, qui, quod

---

[1] Ibid. l. c. § 28.
[2] Ibid. l. c. § 29.
[3] Ibid. l. c. § 30.

legatorum designationem attinet, urbano civium ordini accenseantur [1]. Si quas toparchias ne millenae quidem inhabitent familiae, earum mandatarii iis adsocientur oportet comitiis, quae coram ruralibus, ad quos illi pertinent, judicibus instituenda sunt [2]. Hic autem recurrit, quod in oppidis usurpari supra monuimus, designatis nempe electoribus, simul velut corpus esse compositum, ex quo ipsos in quoque circulo desumi legatos necesse futurum; electorum proinde muneris capacitatem iisdem plane conditionibus definiri, quas nisi quis expleat, a suscipienda hujusce ordinis legatione removendus sit; addito de possessione agrorum legitima praecepto, ut intra ipsum, cujus nomine venturus sit, ambactum, ab electore teneatur. Quapropter capacium in ambactu possessorum series ad literarum ordinem perscribi inque habendorum comitiorum loco palam affigi jubetur [3]. Obeundae vero electionis hic ritus praescribitur. Universis pagorum mandatariis, indicto die ad solemnem judicis advocationem congregatis, quum inter eos fortasse habeantur, qui ob rusticae vitae simplicitatem exigua tantum publici juris valeant notitiâ, primum omnium suscepti ab iis officii natura variaeque conditiones diserte exponuntur. Tum quatuor ex mandatariis sortitione designandi sunt, cum ipsis curiae adsessoribus actuarioque excipiendorum inscribendorumque votorum testes futuri tabulisque subsignaturi [4]. Post haec, ubi numeri alicujus notam singuli ceperint mandatarii, hi eo deinceps ordine citati, quo caeteris

[1] Ibid. l. c. § 31, coll. § 27, in f.

[2] Ibid. l. c. § 32.

[3] Ibid. l. c. § 33, coll. § 8, lit. e et § 28.

[4] Ibid. l. c. § 34.

antecellere quodque municipium existimetur, ore, quos eligi velint pronuntiant, inque tabulas nuncupati ab iis deinceps referuntur. Qua perfecta notatione, lata omnium suffragia pro concione recensentur, haud quidem prout rogati socii fuerunt, sed ad numerorum simul adscriptorum continuationem, quo scilicet, clam caeteris omnibus, cuique votum suum agnoscere concedatur. Recitatis ubi acquieverint cuncti, in quosnam plurimorum consentiat voluntas exquiri statim enuntiarique debet, in qua computatione si ea suffragiorum paritas apparuerit, cujus si ratio haberetur, superari numerum electorum legitimum necesse esset, denuo instauretur oportet super iis, quibus pares obtigerint calculi, rogatio idque ne sic quidem negligi licet, ubi alteruter istorum oblatum sibi honorem repudiaverit. Tabulae denique electionis ad provinciae moderatores transmittendae sunt [1].

Ultima comitia, quibus ipsos tandem legatos suo ex corpore designare solent electores, coram uniuscujusque provinciae moderatoribus, duce regio praeside, eamdem prorsus ad normam celebrantur, quam de communibus urbium coetibus agentes in §^{pho} superiori explicuimus [2]. Itaque huic etiam concioni, ut rite facta electio habeatur, tres certe quartas electorum partes interfuisse necesse est; sed requiritur insuper, ut e singulis ambactibus major dimidio numerus advenerit. Cujus propter defectum ubi suffragia ferri praedicto die haud potuerint, oriundi e repetita convocatione sumtus ab illis expleri jubentur electoribus, quos sine justa causà absentes fuisse apparuerit [3]. Quodsi vero necessitas inciderit ejusmodi, qua

---

[1] Ibid. l. c. §§ 35, 36.

[2] Ibid. l. c. § 37, coll. §§ 26, 21 et 22.

[3] Ibid. l. c. § 38, coll, § 26, al. 2.

regionis alicujus electores quo minus ad locum habendorum comitiorum sese conferrent omnino fuerint impediti, caeterarum vero legitimus numerus minime desideretur, praesidi, sociorum binis tertiis consentientibus, inducendae absque omni morâ electionis libera facultas relinquitur [1].

Quatuor igitur paganis hominibus legatos suos designaturis comitiorum praescripti ordines fuerunt. Nam primum cujusque municipii cives senos, septenos octonosve, partim promiscue, partim ex ditioribus, in triennium sibi eligunt moderatores. Horum deinde collegium de centenis municipii familiis singulos paucis quibusdam satisfacientes conditionibus communionis mandatarios renuntiat. Omnium uniuscujusque ambactus pagorum mandatarii, quot millibus familiarum ambactus inhabitetur, totidem, tertia suffragiorum latione, electores constituunt, ita comparatos homines ut nihil iis desit eorum, quae ad ipsam legationem suscipiendam publici juris praeceptis requirantur. Quorum enim ex corpore factoque ab iisdem delectu, singulorum delegati circulorum ultima tandem vice secernendi sunt. Observatum tamen velimus, paullo diversam rationem iis necessario municipiis obtigisse, quae tertiam, ut vidimus, oppidorum classem efficientia formam regiminis ac genera descriptionemque magistratuum cum urbibus quidem habeant communia, at legatos designandi ritu et consuetudine ruralibus communionibus adsimilentur [2]; in quibus proinde, excluso magistratuum collegio, a solis civium procuratoribus, quos simplex intercedens delectus

[1] Ibid. l. c. § 39.

[2] Ibid. l. c. § 6, coll. edict. de mun. const. et adm. T. I, § 1.

ab ipsius nominatione populi remotos teneat, constitui creandis electoribus mandatarios necesse est [1].

Caeterum, quum in Rhenano circulo, si modum usumque spectes publicorum institutorum, similibus valde placitis urbana atque pagana etiamnum regantur municipia, ea hîc repetere nolumus, quae de urbium hujusce circuli comitiis in superioribus breviter memorata fuerint [2].

Absolutarum omnium electionum tabulae a provinciarum praesidibus diligenter examinatae comprobataeque deinde cum omnibus appendicibus ad regium internis rebus praefectum administrum perferendae sunt [3]. At postquam legatorum concio celebrari coepta est, iis easdem subjici oportet, quibus praeparandi, quae ad consessus instaurationem necessario pertinent, a rege demandatum sit officium (Einweisungs-Commission). Hi enim, an, qui se legatos profiteantur, vere ac secundum leges electi fuerint, sex ipsius concilii sociis sortitione sibi adjunctis, primum omnium explorare tenentur [4].

Descriptis eligendi ritibus placitum omnes, quae istius officii gratiâ institui solent, conciones peraeque spectans edicto subjungi reperimus, una videlicet electionum solemnitate omnem tractandi in illis materiem

---

[1] Edict. de conv. ord. l. c. § 28, coll. edict. de mun. const. et adm. T. IV, § 45, § 47, n°. 3, §§ 74 et 75. Selectorum enim civium appellationem (Gemeinde-Ausschuss) sicut in ruralibus municipiis, universis praefectorum collegii sociis convenire, ita in oppidis ad solos restrictum fuisse procuratores, supra exposuimus.

[2] V. Staatslexikon, l. l. p. 106; SCHMELZING, l. l. p. 11; G. F. KOLB, in: Neue Jahrbücher der Geschichte und Politik, 1843, N°. 1, p. 46, sqq.

[3] Edict. de conv. ord. l. c. § 40.

[4] Ibid. l. c. §§ 53, 61, 62.

contineri, nullorum igitur cujuscumque generis aut mandatorum aut querelarum supplicationumve admitti ab illorum praesidibus propositionem licere [1]. Cui simile est, quod ad calcem edicti effertur, praeceptum, singuli delegati quandoquidem neque illius, unde missi fuerint, provinciae neque ordinis, qui eos designaverit, verum civium pariter universorum causam agendam suscipere existimentur: quod sane repraesentationis in civitatibus naturae quam unice sit accommodatum, nemo est quin intelligat: neque ab electoribus fas iis esse accipere super legationis obeundae ritu admonitorias epistolas, neque in publicis quaestionibus tractandis consultationem cum iisdem instituere; his enim concessis, fieri non posse, quin a totius patriae felicitate integerrime, quantumque vires sinant, efficacissime tuenda exaugendaque, pessimum in modum delegati averterentur [2]. Prudenter quoque legislatorem eos omnes cohortari videas, quibus ad moderandas electiones quidquam fuerit attributum auctoritatis, judices scilicet tam rurales quam superioris ordinis toparchales, commissarios propter ipsum hoc officium a rege nominatos, praesides

---

[1] Ibid. l. c. § 43.

[2] Ibid. T. II, § 56: »Eben so haben die einzelnen Mitglieder, welche in der Versammlung keinen besondern Regierungsbezirk, keinen ausgeschiedenen Stand oder Klasse, sondern alle Unterthanen des Reiches ohne Unterschied zu vertreten haben, keine Instruction von ihren Wahlbezirken oder Klassen zu übernehmen, keine Rücksprache mit denselben zu pflegen, sondern des ganzen Landes Wohl und Beste unbefangen und ohne Beschränkung nach ihrer eigenen innern Ueberzeugung und ihren geschwornen Pflichten zu berathen." Quae obligatio totius patriae, nullo ordinis respectu habito, causam unice tuendi, in jurisjurandi formulâ delegatis imposita iisdem prope verbis continetur. Vid. Constit. 26 Maji 1818, T. VII, § 25.

denique provinciarum, sic partibus suis omni tempore fungantur, ut a nullis non prorsus alieni favoris invidiaeque studiis, recti tantum justique rationem a sese haberi manifestissime ostendant [1]. Quicumque enim magistratus aut secundum leges datorum suffragiorum aliqua parte violaverint libertatem, aut officii, qua floreant, existimatione ad flectendam eligentium voluntatem abusi fuerint, acriter hos reprehendi, quin etiam, ubi poscere illud peccati gravitas videatur, munere destitui oportere legimus [2]. Praeterea corruptorum electorum (quam vocem hîc omnes comprehendere, quibus ad legatorum designationem qualecumque jus suffragii concessum sit, vix opus est ut indicemus) poenae edicto scribuntur electionis inefficacia ac facultatis cum eligendi tum mandati, civibus deferentibus, accipiendi, tam corruptis quam corruptoribus jactura, iis tamen etiam, si ferre hoc delicti naturam apparuerit, infligendis, quibus sive in perjurii sive alius criminis convictos animadverti legibus Bavaricis jubeatur [3].

§ 8.

Additamentum de ordinum provincialium (Landräthe) in Bavariâ constitutione.

Exposito populi mandatarios eligendi in Bavariâ ritu, operae pretium futurum judicamus, paucis indicavisse, quemadmodum praecipua designationem illam ibi regentia placita componendis ordinum provincialium corporibus (Landräthen) adhibita deinde fuerint [4]. De

---

[1] Edict. de conv. ord. T. I, § 41, al. 1.

[2] Ibid. l. c. § 41, al. 2. [3] Ibid. l. c. § 42.

[4] De ordinum provincialium in Bavariâ institutione, praeter ipsam rerum in altero ordinum coetu anno 1819 gestarum expositionem (Ver-

qualium collegiorum singulis in circulis institutione, postquam jam anno 1819 delegatorum expetita votis fuisset [1], primum cavisse decreto d. 1 Januarii a. 1822 [2] regem MAXIMILIANUM JOSEPHUM invenimus, illud se spectare profitentem, ut disseminatam per omnes classes rerum civilium prudentiam eliceret, quo eximius inde fructus in rei publicae redundaret utilitatem [3]. At hujusce decreti exsequendis placitis tot tantaque obstiterunt impedimenta, ut, nisi compluribus immutatis, haud facile illud pro jure valiturum manifestissime appareret [4]. Quae res nec non anno 1825 superveniens regis decessus, quo minus repraesentationis ista species induceretur, per longum satis tempus prohibuit. Itaque, anno demum 1828, post varias cum ordinum conventu disquisitiones, ea perlata lex est, unde omnis illius instituti ratio hodieque in Bavariâ derivetur [5], nisi quod

---

handl. d. II Kammer der Baier. Ständeversamml. v. 1819) V. III et IV, universe conferendi sunt J. VON SODEN, der baier. Landtag v. 1819 (Nürnb. 1821) p. 19—35; STEINACKER, apud VON ROTTECK et WELCKER, in: Staatslexikon, V. XIII, N°. 2 (v. Provinzialstände) p. 287—291; PÖLITZ, Europ. Verfass. V. I, P. II, p. 1181, sqq.

[1] Acta ordd. 1819. ll. cc. Cf. VON ARETIN et VON ROTTECK, Staatsrecht d. Konstitut. Monarchie, V. II, P. II, C. III, § 7, not. 7; VON SODEN, l. c.

[2] Legitur apud PÖLITZ, op. cit. ibid. p. 1181—1184.

[3] Decret. de ordd. prov. instit. d. 1 Januar. 1822, prooem. »In der Absicht, die zerstreuten Kenntnisse und Erfahrungen über die wichtigsten Elemente des Staatsbürgerlichen Zustandes aus der Mitte der Staatsbürger selbst zu schöpfen, und Unserer Regierung dadurch in ihren Anordnungen, in Beziehung auf dieselbe, mehr Sicherheit und Festigkeit zu verschaffen," etc.

[4] STEINACKER, l. c. p. 287, sq. KLÜBER, O. R. d. T. B. §290, not. m. Igitur effectu hocce decretum destitutum fuit ordinatione regis d. 26 Junii a. 1822.

[5] Exscripta lex reperitur apud PÖLITZIUM, l. c. p. 1185—1192.

anno 1832, petentibus sociis, quaedam rex in Recessu Ordinum statuit ejusmodi, quibus hujusce legis nonnullis derogatum sit capitibus [1].

Illud quidem edictum d. 1 Januar. 1822 et legem d. 15 Augusti 1828 inter sese conferentibus jam statim patebit, hac sane ad majorem cum ordinibus universalibus similitudinem edicto propositam circularium ordinum descriptionem reductam fuisse. Namque primum, edictum illud, ubi vicenos in quoque circulo consiliatores sic a rege designandos pronuntiasset, ut liberam civium electionem praecessisse oporteret [2], quatuor illis saepe memoratis classibus, agrorum dominis jurisdictione utentibus, academicis ac pontificiis, oppidanis, rusticis, duplex hominum genus, unde, natalium ordinisque nullo habito discrimine, circularia conflarentur comitia, substituerat [3], primum urbanorum, id est mercatorum, fabricatorum, opificum, vectigal rerum quas tractabant, nomine pendentium, in censum praecipue venturis fabricatoribus cumque exteris mercaturam gerentibus [4]; deinde rusticorum, colendis agris operam reapse navantium [5]; ex illo genere denos, ex hoc trigenos, quavis in provinciâ seligi, hos autem quadragintaviros pro altera parte ex electorum corpore, e reliquis capacibus pro altera sumi debere significans [6]; eas caeterum conditiones eligendis praescribens, quas lege publica edicto-

---

Ejus censuram egit STEINACKER, l. c. p. 288, sqq. Vid. imprimis SCHUNCK, Staatsr. des Königr. Baiern, V. I, p. 462—495.

[1] Gesetzblatt für das Königr. Bayern, 1832, N°. 16, p. 90; PÖLITZ, l. c. p. 1192.

[2] Decret. d. 1 Januar. 1822, § III.

[3] Ibid. §§ IV et VI.

[4] Ibid. § IV, l. a et § VI.

[5] Ibid. § IV, l. b et § VI.

[6] Ibid. § VI.

que de conventu ordinum, super futuris populi mandatariis oppidanis rusticisque sancitas diximus [1]; excludens vero a provincialium consiliatorum munere civitatis magistratus, opificiorum agrorumque conductores, universali denique coetui adscriptos [2]. Idem porro edictum nominandis ambarum classium candidatis simplex in unoquoque circulo electorum collegium destinaverat [3], haud aliter atque apud rusticos, ex lege de concione publica, totidem hîc etiam sociis futurum quot circulo millia familiarum continerentur [4]; in electoribus, tum ut in sua quisque communitate muneris essent procuratorii capaces maximoque tributorum censu tertiae civium parti adnumerarentur [5], tum, quod ex iis pars quadragintavirorum desumenda foret, ut candidati legitime constitui possent [6], requirens. Eorumdem vero designationem binis edictum concionum speciebus attribuerat, quarum altera, in oppidis millenas pluresve complectentibus familias, magistratus procuratoresque [7], altera, coram judicibus cuique ambactui praefectis, minorum urbium atque pagorum functuri vicarii dicebantur; horum quidem vicariorum pro centenis singulorum familiis ita municipalibus moderatoribus concessa designatione, ut hujusce officii sive ipsi sive per mandatarios suos participes quoque haberentur agrorum intra communitatem domini nobiles atque pontificii, colendis

---

[1] Ibid. § IV, l. b, coll. Constitut. a. 1818, T. VI, § 12; ediet. de conv. ord. T. I, § 8, l. d et e.

[2] Ibid. § IV, in f.

[3] Ibid. § V.

[4] Ibid. § V, N°. 13, coll. edict. de conv. ord. T. I, § 31.

[5] Ibid. § V, N°. 4.

[6] Arg. § VI, ibid.

[7] Ibid. § V, N°. 2.

iis vere incumbentes [1] additaque super vicariis conditione, ut ex illis tantum civibus seligere eos liceret, quibus municipalis obeundae procurationis facultas suppeteret [2]. Cautum insuper fuerat, ut circa omnes ad eligendi ritum pertinentes quaestiones, de quibus decreto non expresse statueretur, ad ea recurri placita oporteret, quae in simili argumento lex de conventu ordinum sancivisset [3].

Caeterum, ubi legitime factam candidatorum designationem rebus internis praefectus minister comperisset, regis fore edictum jusserat, tum vicenos ex iis ad consiliatorum dignitatem provehere, tum de reliquis, quonam ordine deficientibus sufficiendi essent, constituere [4].

Uti vero in alterum coetum delegatis, ita his etiam consiliariis gerendi muneris tempus indultum fuerat sexennium, data civibus libertate ut decedentes iterum candidatos eligerent [5]. Pariter, repudiandae hujusce dignitatis edicto haud alias causas probatas fuisse legimus, ac populi nominatis mandatariis lex de conventu ordinum (T. I, § 44) permisisset [6].

Denique, quum in Rhenano circulo superstitia etiamnum essent ex Francorum regimine provincialia comitia, quibus Germanico nomine (Landräth) veterem excipi appellationem (conseil-général) proferrique e sublatis quatuor districtuum conciliis (conseils d'arrondissement) ambitum officiorum contigisset [7], decretum

---

[1] Ibid. § V, N°. 3. Quod pro centenis familiis singuli venire vicarii jubentur, ducta haec quoque numeri ratio est ex edicto de conv. ord. T. I, § 30.

[2] Ibid. § V, N°. 4.

[3] Ibid. § VI, in f.

[4] Ibid. § VII, § III.

[5] Ibid. § IX.

[6] Ibid. § VIII.

[7] Decret. d. 5 Octobr. 1818, de legis publicae Bavaricae in circulo

fuerat, ut hocce institutum, cui illic florenti originem magna parte debuisset similia reliquis circulis impertiendi studium cujusque edicto complura proinde capita recipere placuisset, ad ritum hucusque usitatum celebrari illic in posterum quoque oporteret [1].

Optime vero perspexit rex CAROLUS, non sane proprio marte, verum, ordinibus in consultationem vocatis, statui a sese de tam gravi quaestione fas esse [2]. A quibus autem ideo maxime rata esse habita legis d. 15 Aug. 1828 placita videntur, quod, quae provinciales conciones exiguam tantum auctoritatem ex anni 1822 decreto fuissent adeptae, earumdem, in circulis administrandis, tributis ibi praesertim dispertiendis, provincialibus oneribus comprobandis, satis amplas nunc futuras partes, manifestum esset [3]. Quandoquidem igitur hacce lege provincialis repraesentatio longe verius contineretur, factum inde est, ut, si principis nominationem omittas, quovis in circulo, e lectis octo et quadraginta candidatis, consiliarios viginti quatuor, classium servanda proportione, designaturi [4], quod modo diximus, ratio etiam satis diligenter eorum sit habita placitorum, quibus, decennio ante, communis totius populi superstructa repraesentatio fuisset.

Namque injunctum, ut ad provincialium delegatorum selectionem quatuor civium ordines, agrorum domini

---

Rhenano auctoritate, in f. apud SCHMELZING, op. c. V. I, § 2, not. 10, p. 12; STEINACKER, l. c. p. 287; KOLB, in Staatslexikon, V. II, p. 165 (v. Rheinbaiern); VON ARETIN et VON ROTTECK, op. c. ibid. § 1, not. 3 et § 7, not. 1.

[1] Decret. d. 1 Januar. 1822, § II.

[2] STEINACKER, l. c. p. 288; SCHUNCK, op. c. V. I, p. 462, sqq.

[3] Lex de ordd. provincial. instit. d. 15 Aug. 1828, §§ 1—4, coll. decret. 1 Januar. 1822, §§ II et X. Vid. STEINACKER, l. c. p. 288, 289.

[4] Ead. lex, § 15, al. 2, coll. §§ 5, 6, 14.

jurisdicundi privilegio utentes, pontificii tum Catholici tum Protestantes, urbani homines, agrorum possessores absque jurisdictione, pro rata singuli parte concurrerent, iisdem tum communibus tum cuique ordini propriis conditionibus definita capacitate, quas in §phis 2° ac 3° retulerimus, nisi quod praedialis tributi quinque pensionem florenorum sufficere ultima ex classe candidatis, pronuntiatum sit [1]. Licet, quo et superioris dignitatis nobilibus atque clericis et virorum doctorum ordini certi in his conventibus loci attribuerentur, edixisse legislatorem inveniamus, ut in iis circulis, quibus bona feudalia vel fideicommissaria continerentur ejusmodi, quorum titulo domini ipsorum, sive optimates ex gente Diaetae Imperialis olim usa societate, sive regis auspiciis haereditarii civitatis consiliarii, suam quisque excelsam stationem occuparent, bini insuper ex his comitiorum participes redderentur [2]; pari autem honore, singulis in circulis, ubi immobilium alicujus academiae caput esset, singuli professores ordinarii [3]; uterque vero archiepiscopus regnique consiliator creatus episcopus, in provinciis terras, quarum dominio sedes episcopales exornandae forent, majori parte complectentibus [4]), admoverentur. Quamobrem cujusque circuli optimates ac haereditarii consiliatores, separatim a quatuor ordinum coetibus electoriis, eo plane ritu, qui in appendice ad legem publicam Xa possessoribus jus dicentibus praescriptus fuerit, quaternos nominaturi candidatos horumque bini provincialis

[1] Ead. l. § 10, coll. Const. a. 1818, T. VI, § 12; edict. de conv. ordin. T. I, §§ 8 et 9.

[2] Ead. l. § 7.

[3] Ead. l. § 8.

[4] Ead. l. § 9.

conventus societate a rege decorandi perhibentur [1], estque hoc singulare illorum virorum privilegium, quod aetas hujusce muneris obtinendi legitima viginti quinque iis indulta fuit annorum [2]. Similiter, quavis in academiâ, quotquot illic ferendi suffragii instructi sunt facultate, duorum regi proponendorum candidatorum ad eamdem normam peragere designationem jubentur, qua suos in coetum publicum delegatos, secundum edictum saepius citatum, constituere eos oportet [3].

De Rhenano circulo, ad quem non minus quam ad caeteros haecce lex pertinebat [4], in memoriam revocandum est, quod supra diximus, curiis patrimonialibus deficientibus, trinos tantum illic distingui ordines potuisse [5]. Quocirca, in hujusce regionis consessu tot augeri sociis classis ultima jubetur, quot alibi jus dicentium possessorum nomine venturi sunt [6]. Caeterum, qua multitudinis proportione varios ordines in civitatis conventum admissos viderimus, eamdem lex nostra provinciis etiam adhibuit, amborum priorum ordinum candidatis numerum senarium, tertii duodenarium, quarti vicenarium quaternarium inque Rhenano circulo trigenarium decernens [7], regi partis dimidiae selectionem in singulis ordinibus persequendam tradens [8].

---

[1] Ead. l. § 16, al. 1, 3, 4, coll. edict. de conv. ordin. T. I, §§ 14—17.

[2] Ead. l. § 16, al. 2.

[3] Ead. l. § 17, coll. edict. de conv. ordin. T. I, § 18.

[4] Ead. l. § 32, al. 1; KOLB, l. c. p. 165.

[5] Ead. l. § 12, N°. IV, al. 2. Cf. quae supra diximus, p. 158.

[6] Ead. l. § 14, N°. 2.

[7] Ead. l. § 14, N°. 1 et 2, coll. Const. 1818, T. VI, § 9. E collato quavis in provinciâ Catholicorum ac Protestantium presbyteriorum numero, quot utraque ecclesia lectura sit candidatos efficiendum est. V. ead. l. § 15, in f.

[8] Ead l. § 15, al. 2.

Instauratum porro est edicti d. 1 Januar. a. 1822 placitum, ne cui alterius regni coetus ac provincialium comitiorum simul uti societate liceret [1]; sic tamen, ut hisce adscripti oblatam sibi deinde in illum legationem minime possent repudiare [2]. At rei publicae magistratibus provinciale suscipiendi mandatum neque ademtam facultatem nec coarctatam reperimus [3]. In eo quoque haec lex edictum de ordinibus secuta non est, quod cuique sive candidato electo sive consiliario a rege nominato liberam plane reliquit ab isto munere gerendo excusationem [4]. Quod, ubi susceptum fuerit, ultro abdicari propter illas tantum causas licet, unde popularis deponendae legationis jus nasci, §^{phis} 47 et 44, litt. a, b edicti de conv. ordd. doceatur [5]. Conveniunt etiam lex nostra et anni 1818 Constitutio in rationibus definiendis, ob quas dignitate sua privari legatos necesse futurum [6]; verum, quae circa hanc remotionem nec non circa voluntariam excusationem lege publica decimaque ad illam appendice ordinum coetui attributa fuerit auctoritas, eam, ubi de provincialibus decernendum sit, in ipsum principem, quippe qui eos nominaverit, conferri invenimus [7]. De tempore, per quod hoc minus obeatur, legitimo deque hujus decedentibus prorogandi facultate, eadem cauta fuerunt, quae ex edicto d. 1 Januar. 1822

---

[1] Ead. l. § 11, al. 1, coll. decret. 1 Januar. 1822, § IV, in f.

[2] Ead. l. § 11, al. 2.

[3] Arg. ejusd. leg. § 11, al. 3, coll. edict. de conv. ordin. T. I, § 44, lit. c.

[4] Ead. l. § 18, coll. edict. de conv. ordin. T. I, § 44, decret. 1 Januar. 1822, § VIII.

[5] Ead. l. § 22, coll. decret. 1 Jan. 1822, § VIII.

[6] Ead. l. § 22, a, b, coll. Constitut. 1818, T. VI, § 14.

[7] Ead. l. § 22, in f. coll. Constitut. 1818, T. VI, § 14, in f. edict. de conv. ordin. T. I, § 47, decret. 1 Jan. 1822, § VII.

supra annotavimus [1]. Fieri autem potest ut ante elapsum sexennium electiones instaurandae sint, ubi scilicet rex concessam sibi coetus provincialis dissolvendi potestatem exercuerit [2]. Salaria, quod muneris naturae perquam congruum, provincialis concilii socii accipiunt nulla [3].

Ordinum sancita distinctione, separatim unicuique ordini candidatorum committi designationem necesse erat. Suum igitur quisque ordo electorum habet, singulis in circulis, collegium, ab eorum proficiscens nominatione, qui, quavis in classe, suffragii ferendi juris participes censeantur [4]. Sunt autem tertii quartique ordinis electoriae conciones haud aliae ac, quas in iisdem populi mandatariorum fungi selectione viderimus, manetque illis in hac solemnitate is agendi ritus legitimus, quem priori illi jussae fuerint adhibere [5]. Quae vero urbes proprios mittere soleant delegatos, his, eo plane more, quem caeteras singulas ex edicto anni 1818 sequi oporteat, constituendi sunt, qui provincialium electorum comitiis adsocientur [6].

Quotquot vero jus dicentes possessores coetus alterius hoc ex ordine sociis designandis admittuntur, quosdam

[1] Ead. l. § 22, in f. coll. decret. 1 Jan. 1822, § IX.

[2] Ead. l. § 24, N°. 6.

[3] Ead. l. § 21. Quod tamen anno 1837 sic mutatum fuit, ut ab eo inde tempore minuta stipendia provincialibus consiliariis rependantur. V. STEINACKER, l. c. p. 289.

[4] Ead. l. § 10 et § 12.

[5] Ead. l. § 12, N°. III, al. 1 et N°. IV, § 13, al. 2, coll. edict. de conv. ordin. T. I, § 26 et § 37. Ab ipso tamen rege nominari harum concionum praesides invenimus. V. ead. l. § 13, al. 4.

[6] Ead. l. § 12, N°. III, al. 2, coll. edict. de conv. ordin. T. I, § 6 et §§ 24, 25.

ex electoribus, e caeteris capacibus pro altera desumerentur [1].

Postremo notamus, lege 15 Aug. 1828 confirmata fuisse edicti 1 Januar. 1822 praecepta de civitatis ministro factas electiones, antequam cum rege communicandae sint, probaturo [2] deque illis candidatis, quos consiliarios princeps non creavisset, vicariorum officium expleturis [3]; quod vero tum idem edictum tum lex de conventu ordinum decrevisset, ratam haberi electionem non posse, nisi cui obeundae tres certe quartae electorum partes interfuissent [4], illud nostra lege, si non auctum, at dilucidius expositum inveniri, totidem electorum partes non tantum ut adfuerint (Anwesenheit), verum etiam ut suffragia tulerint, (Abstimmung) requirente [5].

---

[1] Id. decret. lit. β, coll. leg. ead. § 13, N°. 3.

[2] Ead. l. § 15, al. 1.

[3] Ead. l. § 15, al. 4.

[4] Decret. 1 Januar. 1822, § VI; edict. de conv. ordin. T. I, § 26, al. 2 et § 38.

[5] Ead. l. § 14, N°. 1.

CAPUT QUARTUM.

DE MANDATARIORUM POPULI CONSTITUTIONE IN REGNO SAXONIAE.

§ 1.

De Ordinibus in Saxoniâ, ante legem publicam anni 1831.

Varia sane ac multiplicia elementa fuerunt, unde temporum cursu is terrarum complexus exstitit, qui Saxonici electoris ditioni subjectus haberetur. Quae tamen cuncta ad binas potissimum species referri potuerunt, prouti tum aliquae regiones, publici juris imperiique communione, sic arcto semet erant vinculo copulatae, ut unius inde naturam civitatis induissent, tum aliis institutorum ita propria ratio suppetebat, ut, praeter ipsum principem paucosque superiores magistratus, singulae nihil haberent cum reliquis omnibus commune. Quarum specierum altera, si a terris quibusdam minoribus recesseris[1], imprimis complexa est margraviatum Misniensem[2],

---

[1] Quarum enumerationem videas apud F. MILHAUSER, Das Staatsrecht des Königreichs Sachsen, Leipz. 1839, V. I, § 16, p. 41, sq. et not. d, sqq. Singulae quemadmodum Saxonicorum principum ditioni subjectae fuerint, exposuit WEISSE, Geschichte der Chursächs. Staaten, V. I et II, passim.

[2] Fuit enim hic margraviatus quasi caput possessionum gentis Wettinensis, cujus ab anno inde 1126 salva perpetuo mansit in illum auctoritas. V. MILHAUSER, ibid. § 16. init. et not. a.

landgraviatum Thuringicum [1] Saxoniaeque ducatum [2], alio alios tempore atque titulo acquisitos, uno tamen omnes haereditariarum sive, ob divisionem in circulos, circularium regionum nomine vocitari solitos [3]; ad alteram vero pertinentium tractuum praecipue memorandus est duplex Lusaciae margraviatus, quo stirpem Austriacam, donatione anni 1635, Albertinae principum Saxonicorum lineae, ab Ernestina post factam anno 1485 terrarum partitionem separatae, cessisse legimus [4]. Cui quidem classi quotquot adscriptae erant partes, sicuti

[1] Ab Imperatore, feudali titulo, anno 1247 concessum. V. MILHAUSER, ibid. et not. b; coll. WEISSE, op. c. V. I, p. 272, sqq.

[2] Simili nomine, anno 1423 acquisitum. MILHAUSER, ibid. et not. c; WEISSE, op. c. V. II, p. 262, sqq. V. V, p. 127, sqq.

[3] Terrarum Saxonicarum in circulos partitio ab annis repetitur 1547 et 1552. Principio quinque circuli fuerunt, videlicet Electoralis (Churkreis) Vitebergensis ab anno inde 1807 nuncupatus, porro Misniensis, Erzensi-montanus, Thuringensis, Lipsiensis. His e novis factis acquisitionibus, annis 1570 et 1588, duo deinceps circuli, Voigtlandensis et Neostadensis, accesserunt. Magna agri Saxonici parte Borussiae regi, anno 1815, alienata, ad quaternarium numerum reducti circuli fuerunt, ita ut etiamnum supersint Misniensis, Erzensi-montanus, Lipsiensis, Voigtlandensis. In ambactus rursum singuli circuli distincti reperiuntur. V. MILHAUSER, ibid. § 16, p. 43 et not. ss—ww; WEISSE, op. c. IV, p. 108, 100, 85, sq. V. p. 133; BÜLAU, Verfassung und Verfassungsrecht des Königr. Sachsen, V. I, (Leipz. 1833) § 4, p. 8, sq.

[4] WEISSE, IV, p. 327; MILHAUSER, ibid. et not. nn. De terrarum divisionibus inter ambas Wettinensis gentis lineas institutis videndi sunt WEISSE, Museum für d. Sachs. Geschichte, V. II, p. 356, sqq. III, p. 176, sqq. IV, p. 51, sqq. MILHAUSER, ibid. p. 42 et not. ff. Reliquarum haereditariis non incorporatarum provinciarum praecipuae fuerunt comitatus Mansfeldensis ac Hennebergensis, principatus Querfurthensis, episcopatus Naumburgensis ac Merseburgensis, ipse denique Misniensis episcopatus, ante perfectam ejus, anno 1666, cum tractibus haereditariis conjunctionem. V. WEISSE, Museum, etc. V. VII, p. 46, sqq. IV, p. 138—150, Gesch. Sachs. IV, p. 325, V, p. 418; MILHAUSER, ibid. p. 42, 43 et not. ii, sqq.

caeterum propriis maxime rebus utebantur, ita, quos consultari de publicis quaestionibus oportebat, suos variorum ordinum conventus ad saeculi decimi noni usque principium retinuerunt [1]. Propter arctam vero, quae inter haereditarias regiones magis magisque invaluerat, necessitudinem evenire debuit, ut e celebratis in unaquaque ordinum comitiis unum tandem velut corpus coalesceret [2]. Publicus igitur coetus exstitit circularium provinciarum, in quem ventitandi jus tum pontificii adsociatique his comites atque dynastae, tum equitatus ordo, tum denique urbes habuerunt [3]. Primae autem curiae participes erant Misniensis dioecesis atque academia Lipsiensis, celsioris vero ordinis optimates eadem continebat dynastas Schonburgenses ac dynastam Wildenfelsensem [4]. E multis scilicet, quas Schonburgenses principum comitumve titulo ornati dynastae possidebant, terris, tres illae dynastiae, Glaucha, Waldenburgium atque Lichtenstena Bohemiae regi feudali nomine obligatae, inferior porro comitatus Hartenstenensis neque non Stenensis dynastia simili quidem a Misniensi margraviatu vinculo pendentes, at consessus Imperialis juribus donatae, in ejusmodi exinde facultatum officiorumque pervenerant conditionem, ex qua fieri vix

---

[1] MAURENBRECHER. Grunds. d. heut. Deut. Staatsr. § 89; MILHAUSER, ll. cc. WEISSE, Sachs. Staatsr. p. 45; Museum, III, 1, p. 1 et 2, p. 110; de utraque Lusaciâ, VON RÖMER, Staatsr. v. Sachs. V. II, passim.

[2] Quod medio saeculo decimo quinto perfectum fuisse constat. MILHAUSER, ibid. p. 41 et § 19, p. 62.

[3] MILHAUSER, § 19, ibid. et not. k et l. BÜLAU, op. c. ibid. § 12, p. 32; WEISSE, Gesch. Sachs. V. V, p. 192, not. ***.

[4] MILHAUSER, ibid. not. k et l; BÜLAU, ibid. Academiae conventui publico ab anno inde 1587 perpetuo adsociatae fuisse videntur. V. MILHAUSER, § 19, not. k.

poterat, quin graves saepe ac difficiles in regenda civitate quaestiones orirentur [1]. Quibus igitur tollendis istarumque dynastiarum accuratius definiendis rationibus, trium, quas prius memoravimus, respectu, inita est, die 4 Maji a. 1740, conventio (Hauptrecess) simulque de reliquis pacto cautum est adjectitio (Nebenrecess) [2]. Quarum conventionum quum, ipso profitente in Congressu Viennensi rege Saxoniae, nullam deinde ob caussam infirmata validitas fuisset [3], ex uno hocce fonte vinculi, quo cum Saxoniâ illae conjunctae sint dynastiae, omnem repeti debere explicationem, perspicuum est; nisi quod, quam pactis anni 1740 electori Saxonico vindicatam in illas legamus territorialem superioritatem, hanc, tum Germanicae civitatis dissolutione, tum Confoederationis anno 1815 decretis, in supremi facultatem imperii transiisse appareat [4]. Postea vero, de confirmanda, quam rex proposuerat, nova lege publica ordinibus deliberantibus, hac ita tantum sese acquiescere dynastiarum illarum domini, curiali, quod vocant, in coetu suffragio utentes, declaraverunt, si nihil ista pactis anni 1740 derogatum fuisset. Quapropter data iis publice est promissio, incolumia servatum iri, quae ad normam stipulationum hucusque exercuissent privilegia [5]. Similis a comitibus Solms-Laubachensibus occupatae Wildenfelsensis dynastiae conditio alia nititur

---

[1] BÜLAU, op. c, I, § 5, p. 10.

[2] VON RÖMER, Staatsr. v. Sachs. V. III, p. 288—319; MILHAUSER, § 20, p. 67 et not. l.

[3] KLÜBER, Acten des Wiener Congresses, V. VI, p. 139—141.

[4] BÜLAU, ibid. p. 11; WEISSE, Sachs. Staatsr. I, p. 34, 35, II, p. 440—457.

[5] BÜLAU, ibid. Acta ordd. Saxonic. a. 1831, fol. 2330, sq.

pactione anni 1706 [1], quae ne in posterum irrita haberetur, anno 1831, decernendae legis publicae opportunitate, constitutum fuit [2].

In equestri ordine ad quosnam conventus societas pertineret, quum non omni tempore aequabiliter fuisset definitum [3], regula posteriori aetate invaluit, quorum praediorum domini isto usi jure anno 1728 fuissent, iisdem illud perpetuo deinceps attribui oportere [4]. A quo tamen placito sic deinde recesserunt, ut memoratae facultatis nulla praedia expertia haberi coeperint, quae reapse militaribus equis acquisita fuissent, aut quorum nomine equestris aliqua pensio exsolvi soleret, dummodo superiori illorum bonorum classi (schriftsässigen Gütern) accenserentur, id est iis, quorum possessoribus olim contigisset, ut, a provincialium auctoritate magistratuum liberati, solis totius civitatis moderatoribus obnoxii ducerentur, ex hujus autem privilegii exercitione ad alia plura sibi vindicanda feliciter deinceps proficerent [5]. Namque ab hujus tantum conditionis praediis alterius in conventu ordinis repeti licere societatem, certum erat; quin excludebantur etiam ab illo jure quotquot equestria bona post annum demum 1661 ad majoris classis honorem promota fuissent (neuschriftsässige Güter) [6]. Recenti vero,

---

[1] BÜLAU, ibid. VON ROMER, op. c. I, p. 64.

[2] Act. ordd. Sax. 1831, fol. 2329.

[3] ZACHARIÄ, Ueber d. ausschliessl. Sitz- und Stimmrecht des alten Churs. Adels auf Landtagen, apud WEISSE, Museum, II, 1, N°. 2, p. 15, sqq.

[4] BÜLAU, ibid. BLÖMNER, Land- und Ausschusstagsordnung des Königr. Sachsen v. Jahre 1728 (Leipz. 1822) p. 135, sqq.

[5] BÜLAU, ibid. et § 6, p. 13 ac not. 5.

[6] Attributa tamen est, ordinatione anni 1729 (§ 3) equestrium inferioris classis bonorum (amtsässigen) possessoribus facultas, in singulis ambactibus, singulos, binos trinosve e suo corpore vicarios, a quibus

quod diximus, interpretandi genere necessario evenit, ut occupata anno 1728 facultas nonnisi illis dominis usui esse pergeret, in quibus memoratarum conditionum alterutra deficeret[1]. Quae omnia sicuti habendi titulum legemque ac juris, quod bonorum esse censebatur, naturam unice respiciunt, ita circa possessores ipsos hoc inductum placitum saeculi decimi octavi principio reperimus, quibuscumque non is natalium splendor suppeteret, ut sedecim nobilium majorum seriem exhibere possent, expensae consessuum opportunitate pecuniae non debere permitti restitutionem. Quod ideo referre oportuit, quia ab hoc inde tempore illi omnes possessores, qui aut plebeji essent aut recenti uterentur nobilitate, in concionem ventitare rei sumptibus absterriti magis magisque negligere coeperunt, dehinc autem, tamquam juri suo renuntiassent, usurpandi illius incapaces existimati fuerunt[2].

Qua inconstantiâ jus equestris ordinis laborasse deprehenditur, ea nec plane immunis fuit attributa Saxonicis urbibus legatos in conventum designandi facultas. Etenim, quum antiquiori jam aetate minime paribus omnes urbes donatae privilegiis fuissent, ab eadem autem, quae in praediis equestribus nobis occurrit, distinctione urbium quoque binae classes similibus insignitae appellationibus profluxissent, ad quas infimum tandem genus accederet earum, quae a vasallis pendere dicerentur (Vasallen-Städte), alia proinde in aliis auctoritate senatorum singulis praeposita collegia fungeren–

---

de nobilibus majoribus facienda esset probatio, in conventum ablegare. V. BÜLAU, p. 33.

[1] BÜLAU, p. 32.

[2] BÜLAU, ibid. BLÜMNER, op. c. passim; HILLHAUSER, § 20, not. h.

tur [1]: consentaneum isti varietati erat, ut non sane cunctarum nomine urbium legati in comitia venire solerent, neque tamen quibusnam prae caeteris jus istud competeret certa stabilique lege definiretur. Ordinatione igitur anni 1728, qua multa comitiorum legem spectantia accuratius descripta fuerunt, urbium quoque legandi usurarum privilegio nominatim designatio continetur [2]. Municipalium autem senatuum corpora tum aliis multis tum jure etiam cooptandi insignita, omni legatorum urbanorum fungebantur constitutione [3].

Quod vero ad partes attinet, quae hisce ordinibus in rei publicae administratione gerendae essent, in mirabilem admodum hîc temporum incidimus diversitatem. Nam quum a medio inde saeculo decimo quinto, eas maxime ob causas, quas in Introductione exposuimus, brevi tempore ad multorum insignis momenti jurium exercitionem nata tributis adhibendo consensu [4] ordinum auctoritas progressa fuisset, ita ut tum proprio marte, ubi necessarium illud videretur, congrediendi [5]; tum

---

[1] MILHAUSER, § 18, not. 1; BÜLAU, § 8, p. 19. De urbibus, publicorum conventuum annis habitorum 1308, 1375 et 1386 participibus, videndus est F. C. HAUSMANN, Beiträge zur Kenntnis der Chursachs. Landesversamml. V. I, N°. 1.

[2] MILHAUSER, § 20, not i; BÜLAU, § 12, p. 33. Oppidis igitur centum viginti septem comitiorum vindicata fuit societas singulisque singulorum legatorum relicta designatio, exceptis Lipsiâ, quam quaternos ac Dresdâ, quam binos moris erat constituere. V. MILHAUSER, ibid.

[3] WEISSE, Gesch. Sachs. II, p. 176, I, p. 298; BÖTTIGER, Gesch. v. Sachs. I, p. 238, sqq. BÜLAU, ibid.

[4] EICHHORN, D. S. u. R. G. V. III, §§ 424 et 427; HÜLLMANN, Gesch. d. Urspr. d. Stände in Deutschl. p. 651, sqq. WEISSE, Gesch. v. Sachs. V. I, p. 131, V. II, p. 160; MILHAUSER, § 18, p. 60.

[5] Reversus Ordin. a. 1438; HAUSMANN, op. c. V. II, N°. 1; WEISSE, Gesch. v. Sachs. II, p. 303.

super omni re graviori sententiae roganti principi dicendae [1]; tum partium quarumdam in exactione custodiâque vectigalium obeundarum [2]; tum consentiendi tractuum civitatis alienationi oppignorationive, juris publici circa rem sacram remque tributariam mutationi, foederum denique cum exteris atque eorum, quae civitatem spectarent, familiae pactorum institutioni libertatem complecterentur [3]: temporum decursu, de faustis illis ordinum juribus sic multum detraxit crescens magis magisque principis imperium [4], ut tandem, si consensum in tributorum impositionem excipias, ipsum etiam haud magis pro jure quam officio duci coeptum [5], ad ferenda, quoties id rectori visum esset, de publicis quaestionibus consilia omne paene munus eorum restrictum haberetur [6].

---

[1] Revers. a. 1466 et 1548; WEISSE, ibid. p. 370 et III, p. 298, not. **; MILHAUSER, § 19, p. 62 et not. q.

[2] HAUSMANN, op. c. I, p. 105; WEISSE, Museum, III, 1, p. 117, sqq. MILHAUSER, ibid. not. r.

[3] Revers. a. 1635; WEISSE, Gesch. III, p. 252, not. *, p. 270, IV, p. 88, 212, 332, sqq. 378, sqq. HAUSMANN, op. c. I, p. 100; MILHAUSER, ibid. not. s et t.

[4] Cff. quae supra disputavimus, p. 22, sqq. p. 28, sqq. MILHAUSER, § 20, init. et not. b.

[5] WEISSE, Gesch. II, p. 363; MILHAUSER, § 19, not. c et n et § 20, p. 67; BÜLAU, § 12, p. 23, sq. Cf. EICHHORN, op. c. III, § 424.

[6] »Ausser diesem Einflusse auf die Steuerbewilligung konnten die Stände nicht einmal eine berathende Stimme bei der Gesetzgebung in Anspruch nehmen, und es war daher bloss eine Handlung freier Regentengrossmuth, dass Veränderungen in der Verfassung nicht ohne Einwilligung der Stände gemacht, wichtige Gesetze von allgemeinem Einflusse auf die Rechte und Pflichten der Staatsbürger nicht leicht ohne ihren Beirath abgefasst und erlassen wurden. Doch hatten sie bei solchen Angelegenheiten bloss eine berathende Stimme, und selbst diese stand ihnen nicht gesetzlich zu.” Ita BÜLAU, p. 34. Quod viri doctissimi judicium, etsi quid reapse juris fuerit quaerentibus iniquius

Nec, si vel latior iis facultatum ambitus suppetiisset, satis feliciter adhibere eas potuissent, illum agendi deliberandique ritum sequentes, qui, quantum concordiae mutuoque amori officeret, tantum privata partium studia fovere deberet. Namque non modo separatim equestris urbanusque ordo consultare solebant, verum uterque etiam horum in trinas erat curias divisus, eodem inter se jure suffragii utentes, sociorum vero admodum dispari numero celebratas [1], quarum in equestri quidem ordine ea ratio invaluerat, ut pauciorum selectorum, quod dicebatur, collegio (engen Ausschusse) primarii a rege creati magistratus, nobiles pontificiique aliqui, tum duodetriginta, ab ipsis sociis omnibus ex provinciis ordinisque classibus cooptati equites, donec integrum iis jus conventus maneret, adscripti haberentur; ab horum porro auctoritate quinquaginta quatuor majoris collegii (weiten Ausschusses) sociorum, observandis locis gradibusque, nominatio penderet, nisi quod proprium in illo jus nobilium Schonburgensium censebatur; universali denique sic dictae concioni (allgemeinen Ritterschaft) caeteri omnes equites accenserentur [2]. Atque

---

videri possit, ubi, quae facta fuerint, unice attendamus, sanequam comprobatur. Sponte congrediendi facultatem, ubi anno 1693 postremo ab ordinibus usurpata, quin anno 1722 iis etiam confirmata fuisset, diserte abrogatam, anni 1728 ordinatione (§ 28) reperimus. Vid. HAUSMANN, op. c. I, p. 107, II, p. 13; BLÜMNER, Land- u. Ausschusstagsordn. p. 60, sqq. BÜLAU, p. 38. De ordinibus, circa res externas civitatis privatasque principis rationes auctoritatem suam vindicare frustra conantibus, videndi sunt WEISSE, Gesch. VI, p. 24; MILHAUSER, § 20, p. 67.

[1] WEISSE, Staatsr. I, § 62; MILHAUSER, § 19, p. 62, 63; BÜLAU, § 12, p. 34.

[2] WEISSE. l. l. et Gesch. III, p. 297; BÜLAU, p. 35.

urbano in ordine iisdem nominibus vocatarum classium suprema octo urbes amplissimas comprehendebat, quarum quatuor, tamquam praesidio fungentes, caeteras omnes auctoritate in gerendis negotiis antecellebant [1]; ad mediam vero curiam pertinentes mediae conditionis urbes duodecim minutorum, id est infimi coetus, oppidorum universitatem suffragii sui pondere aequiparabant [2]. Haec quum utriusque ordinis in conventu distributio esset, ad normam probatae a pluribus sociis sententiae nonnisi in ipsis curiarum comitiis decerni poterat [3]. Juxta haec selectorum collegia, aliud quoque concionis genus invaluerat, ab iis, quos ex equestri urbanoque ordine seligendos princeps curavisset, tum imprimis, ubi praegravem dirimi quaestionem oporteret, celebratae eaque a reliquis ordinum sociis usae libertate, ut ne jus quidem his esset, nisi veniam superius equestre collegium dedisset, sententiae suae notationem cum illis communicare [4]. Perraro deliberandi gratiâ omnes ordines congrediebantur; nec fere, nisi querelae

---

[1] Bülau, p. 34; Weisse, Staatsr. l. c. Milhauser, § 20, not. i.

[2] Bülau et Milhauser ll. cc. nisi quod hic medio collegio octodecim contentas fuisse urbes refert.

[3] Bülau, p. 35.

[4] Vid. de hisce concionibus (Deputationstagen) Hausmann, op. c. I, p. 60; Blümner, op. c. p. 92, sqq. Bülau, p. 35, 36. Designari scilicet illarum socii a marescallo (Landtagsmarschalle) quem ordinum coetibus, perpetuo jure, princeps praeposuerat, adscitis in consilium selectis equitibus paucioribus, solebant. Itaque a selectorum conventibus (Ausschusstagen) illo maxime nomine differebant, quod hi e mandatis, quae ab ordinum corporibus acceperant, res sibi subjectas pertractare tenebantur. Milhauser, § 19, p. 63 et not. w; Hausmann, V. I, p. 58. Caeterum, hocce institutum, anno 1813, turbatissimo tempore, quo ne quidquam ex ipsorum ordinum ageretur consensu rei publicae calamitas prohibebat, instaurare Saxoniae rectores studuerunt, data super obeundi illius

supplicationesve omnium communiter nomine perscribendae, aut ad petitoriam principis epistolam conficienda esset responsio (Haupt- und Bewilligungsschrift), a nobilium urbanorumque habita capitibus, separatis ordinum comitiis praecedere consultatio solebat [1]. Quin et classes, in quas divisum fuisse equestrem ordinem observavimus, rarissime ac modo, selectis illis decernentibus, convenisse apparet [2]. Caeterum is agendi ritus ut plerumque usurpabatur, ut quae scriptiones deliberandi continerent materiem, primum a pauciorum nobilium corpore examinatae, hinc singulis deinceps urbium curiis subjicerentur, ultimo tantum loco a caeteris equitum collegiis explorari deberent. Ordinum autem responsioni ubi princeps acquievisset indeque editus Diaetae Recessus fuisset, finis hic necessario exsistebat conventus. Idem vero si adstipulari ipsorum sententiae negavisset, ad praedictum ritum deliberandi scribendique solemnitas instaurabatur. Ipsi denique ordines quoties in eamdem sententiam convenire non potuissent, quaenam ineunda ratio esset civitatis rectores proprio marte decernere solebant [3]. Caeterum memoramus, nonnisi sociorum in gratiam typis mandari ordinum acta moris olim fuisse, nulla publice curâ ha-

---

ritu ordinatione (Deputationstagsordnung) d. 24 Aug. V. BLÜMNER, op. c. p. 102; MILHAUSER, § 21, not. b; BÜLAU, § 12, p. 37, sq.

[1] BÜLAU, p. 36. Nobilium capita, hujus officii respectu, pauciorum selectorum collegii socii quidam praecipui et reliquorum collegiorum censebantur moderatores (Directoren); urbanorum vero praesidium (Städtische Directorium) Lipsiensibus delegatis competebat.

[2] BÜLAU, ibid.

[3] BÜLAU, p. 36, 37; MILHAUSER, § 20, not. k; WEISSE, Staatsr. I, p. 119—137.

bita, ut ad reliquorum civium notitiam illa perferrentur [1].

Quem caeteris cum circularibus non conjunctis terris, episcopatibus Merseburgensi ac Naumburgensi-Zeitsensi, Hennebergensis comitatus parti, principatui Querfurtensi aliisque minoribus antecelluisse diximus utrumque Lusaciae margraviatum, huic, feudo Bohemico ditioni suae subjecto, de statu ipsius publico singulorumque in eo ordinum privilegiis conservandis solemniter spopondit, anno 1636, JOANNES GEORGIUS I, elector [2]. Inde, ad hujus usque saeculi principium singularem juris conditionem isti margraviatus retinuerunt. At, ubi, pace facta Posniensi, Rhenanae Confoederationi dux sese Saxoniae adsociavisset, ex eaque summi imperii facultatem regiumque honorem deinceps assecutus fuisset [3], pacti illius convenienter placitis, die a. 1809 m. August. 23°, decretum edidit, quo, quaecumque feudalis tituli obligationes aut Imperio quondam Germanico aut novae sociis Confoederationis aut aliis denique exteris principibus, terrarum suarum intra limites, hucusque competiissent, has iis ademtas ad se omnes transiisse pronuntiaret [4]. Quae res tum aliis nominis Saxonici provinciis, tum, postquam Rhenanam societatem Austriae agnoverat imperator, ambabus etiam Lusaciis publici juris haud leviter immutavit necessitudinem [5]. Caeterum, quod

[1] BÜLAU, p. 37; MILHAUSER, ibid. et § 22, p. 75.

[2] Vid. clausula adjectitia ad pacem Pragensem d. 30 Maji 1635, apud GLAFEY, Kern d. Sachs. Gesch. N°. XX, p. 1088. Cf. WEISSE, Gesch. IV, p. 327; BÜLAU, § 7, p. 16.

[3] Vid. supra p. 51; MILHAUSER, § 17, not. mm, § 21, p. 72.

[4] Supra, p. 47; MILHAUSER, § 17, not. nn; GRÖHLER, Beiträge z. Staatsr. d. Königr. Sachs. 1838, p. 22, sqq. BÜLAU, ibid.

[5] BÜLAU, ibid. not. 4 et 5.

jam alia monuimus opportunitate, in eo multis recenti foederi adstipulatis principibus, hoc tempore, veterum institutorum tenaciorem rex sese praestitit Saxoniae, quod minime, sicut isti factitabant, supremam acquisitam potestatem minuendis tollendisve ordinum in rei publicae gestione juribus adhibuerit [1]; a quali molimine sic potius alienum illum exstitisse reperimus, ut, habito die 10 m. Maji 1807 selectorum ordinum congressu, civitatis constitutionem juraque omnia inde profluentia sese tuiturum, solemni declaratione sit pollicitus [2]. Quamquam nec caeco eumdem studio duci illorum etiam incolumium servandorum, quae ut emendarentur aut temporum necessitas postularet aut rei publicae suadere utilitas videretur, multa sane ostenderunt, donec salva steterit Rhenana consociatio, variis in juris administrationisque capitibus, prudenter, illo auctore, immutata [3]. Quorum hoc merito dixeris gravissimum, quod, cum antea caeteris Christianis longe faustiorem conditionem obtinuissent Lutherani, his primum, anno 1807, Catholici, deinde, quadriennio post, Reformati, omnium tam civilium quam politicorum jurium respectu, adsimilati fuerunt [4].

Regnum Saxoniae, quum per varias rerum Euro-

---

[1] Vid. quae supra diximus, p. 74.

[2] Milhauser, § 21, p. 72 et not. a. Cf. Weisse, Gesch. v. Sachs. V. VII, p. 174, sqq. Maurenbrecher, Grunds. d. heut. Deutsch. Staatsr. § 127, not. m, § 149, not. i. Ipsae adeo leges Imperiales, nisi quae ad veterem cum Imperio nexum pertinebant, servatae fuerunt. V. Haubold, Sachs. Privatr. § 26.

[3] Bülau, Gesch. Deutschl. v. 1806—1830, p. 28, not. 2; Milhauser, § 21, not. b.

[4] Milhauser. § 21, p. 72 et not. c; Bülau, Verfassung u. Verfassungsr. § 11, p. 26.

paearum ac Germanicarum vicissitudines cunctis suis partibus integrum permansisset, nec sane, quantum caeterae Germanicae civitates, tantum e Francorum dominatione expertum incommodi fuisset[1], versa anno 1813 NAPOLEONTIS fortunâ, magnis conflictari coepit calamitatibus brevique post in intereundi adeo discrimen adductum est. Dum enim rex, quippe qui a Francorum causâ desciscere non sine ingenti periculo posset, instaurandae pacis cupidus, Austriae imperatorem tale molientem consilium adire pararet[2], in Saxonicum agrum copiae Russicae atque Borussicae irruperunt; quo factum, ut cruenta belli pestis per hancce regionem grassata sit, donec commissum mense Octobri in campo Lipsiensi proelium Francorum res penitus profligaverit[3] ac Rhenanorum principum per vim dissolverit cum NAPOLEONTE societatem[4]. Tum FREDERICUS AUGUSTUS, qui, NAPOLEONTIS jussu bellum initio feliciter gerentis, Dresdam sese recepisset istique auxilium deinde praebuisset[5], a victoribus rem indigne ferentibus regno cedere[6] ipsisque civitatis administrationem relinquere[7]

---

[1] BÜLAU, Gesch. Deutschl. p. 188.

[2] BÜLAU, ibid. p. 188, sqq. PÖLITZ, Die Regierung FRIEDRICH AUGUST's, V. II.

[3] BÜLAU, ibid. p. 195—261.

[4] BÜLAU, ibid. p. 261—270. Cf. KLÜBER, O. R. d. T. B. § 33, p. 40; Acten des Wien. Congr. I, 2, p. 54 et 93, VIII, p. 144, sqq.

[5] BÜLAU, ibid. p. 194.

[6] BÜLAU, ibid. p. 262, 263.

[7] Praepositus igitur Saxoniae Russicus nobilis homo fuit REPNIN: auspiciis scilicet illius collegii (Centralverwaltung) cui regiones, propter belli vicissitudines regimine vacantes, gubernandas consociati principes tradiderant. BÜLAU, ibid. p. 273; MILHAUSER, § 21; PÖLITZ, Die Regier. FRIEDR. AUG. II, p. 149—234.

coactus est. Quibus igitur subjecta mansit Saxonia ad diem usque 5 Junii a. 1815, quo tempore, quum post multas deliberationes de futura hujusce terrae sorte constitutum fuisset, amissum rex imperium recuperavit [1]. Neque tamen integra, verum dimidio circiter truncata civitate potitus est; quin vel hanc impetrare conditionem, propter adjungendi Borussicae ditioni Saxoniam principum Viennae considentium voluntatem, arduus ei labor exstiterat. Quale consilium quum perqnam sibi displicere et multarum Europaearum Germanicarumque civitatum rectores, et Parlamentum Britannicum, et ipse Saxoniae populus aperte animoseque significassent, nec non gnaviter causam suam FREDERICUS AUGUSTUS oravisset [2], perfecta quidem non est regni Saxonici exstinctio, sed pristina regi dignitas instaurata, hac vero lege, ut bonam terrarum suarum portionem, circulos videlicet Vitebergensem, Thuringensem et Neostadensem, episcopatuum Merseburgensis et Naumburgensis partem majorem, agros quosdam Misnienses, Lipsienses ac Voigtlandenses, cunctas denique regiones non incorporatas, excepta Superioris Lusaciae parte, a Saxoniâ sejunctas Borussicae corpori civitatis immisceri pateretur. Ad quam stipulationem accessit rex Saxoniae, pace inita Viennae, die m. Maji 18 a. 1815 [3].

---

[1] BÜLAU, ibid. p. 328, 329; MILHAUSER, ibid.

[2] De nobilissimae hujusce quaestionis agitatae historiâ consulendi sunt KLÜBER, Act. d. Wien. Congr. V. I, N°. 2, p. 6, 11, V. VII, passim; PÖLITZ, op. l. II, p. 146, 167, sqq. 180, sqq. etc. VON GAGERN, Mein Antheil an der Politik. (1826) V. II, passim; BÜLAU, op. l. p. 312—329.

[3] KLÜBER, op. c. V. VI, p. 120, sqq. MILHAUSER, § 16, p. 44; BÜLAU, ibid. p. 326—329. Terrarum, quibus cedebat rex Saxoniae, amplitudo

Atque tum regionis contracti fines tum eodem tempore regis ad foedus Germanicum admissio variarum in jure publico Saxonico administrationisque ritu instituendarum mutationum causae exstiterunt [1]; quarum haec primo loco memoranda venit, quod, edicto d. 20 Oct. a. 1817, in Superioris Lusaciae amborumque episcopatuum reliquiis separatim congredi ordines desierunt ac haereditariarum terrarum comitiis adsociati fuerunt [2]. Quamquam in Lusaciâ quidem antiquae celebrari diaetae, provincialium instar conventuum, perrexerunt [3]. Deinde vero, utut Actus Confoederationis Art. 13° Ordinum in singulis Germaniae civitatibus usurpari conciones jubenti rite satisfacere Saxoniae moderatores sibi viderentur, si, quod ad ordinum descriptionem, jura deliberandique consuetudinem, traditae a majoribus rationis capita praecipua retinerent [4]: quaedam autem ab illis rogatae leges, quibus ad majorem simplicitatem comitiorum reduci celebratio deberet, comprobatae ab ordinibus non fuissent [5]; ejusmodi tamen amplificationem suffragiorum

---

milliaribus quadratis 367¼ aestimabatur; incolas easdem continebant 864,404. Quae Saxonicae ditionis remanebant, milliaria complecti 271, incolis autem frequentari 1, 182, 744 censebantur.

[1] Notavit eas PÖLITZ, op. l. V. II, p. 235; BÜLAU, op. l. p. 540, sq.

[2] MILHAUSER, § 22, p. 74 et not. c; BÜLAU, Verfassung, § 7, p. 16; BLÜMNER, Land- u. Ausschusstagsordn. p. 3, not. 1, p. 14, not. 2, p. 25, 30, 146, 147. In equestri ordine, pauciorum selectorum collegium sociis e circularibus regionibus viginti quinque, e Lusaciâ Sup. undecim constare coepit, dum frequentiori collegio ex illis quadraginta, ex hac quatuordecim annumerabantur. Similiter urbanorum collegia oppidanis e Lusaciâ hominibus aucta fuerunt.

[3] MILHAUSER, § 22, not. c; BLÜMNER, op. c. p. 152—159; BÜLAU, Verfass. § 25, p. 118—120.

[4] MILHAUSER, § 22, p. 74 et not. b; PÖLITZ, op. l. V. II, p. 358, sqq.

[5] Ita, celebrandae anno 1817 diaetae opportunitate, rex ad ordines

in hisce coetibus ferendorum expertam hoc tempore facultatem invenimus, quae mutatae cum aetatis tum rei publicae usibus perquam accommodata censeretur. Quum enim rex, decreto d. 20 Octobr. 1817, sententiam ordines rogasset de quaestione, mutandumne circa selectorum collegia jus antiquum videretur: illi autem sic respondissent ut mutandi gravioris ponderis consilium regi nullum suggererent; mox iisdem poscentibus veniam rex largitus est, ut, quem plurimorum votis expeti confiterentur, tum alia publici juris capita tum repraesentationem emendandi modum accurate sibi exponerent [1]. Quod ubi diligenter executi fuissent [2], natum exinde est, conventus anni 1820 opportunitate, d. 16 m. Octobris decretum [3], quo non tantum quotquot nobiles equestrium bonorum possessores recentiori demum tempore acquisito superioris hoc in ordine classis uterentur honore (neuschriftsässige Güter) publicae concionis participes redditi fuerunt [4], verum etiam cautum, ut ex iis possessoribus, qui propter natalium defectum exclusi hucusque a comitiis fuissent, in posterum, coe-

---

referri curaverat de jungendis in unum corpus tribus equitum concionibus, huic autem praelatorum, comitum dynastarumque admiscendo collegio. Quod salubre consilium tum quidem repudiatum ab ordinibus fuit. V. BLÜMNER, op. l. p. 19, not. 1, p. 20, not. 3; MILHAUSER, § 22, not. d.

[1] Decreto d. 22 Decembr. 1817.

[2] Relatione d. 23 Junii 1818. Vid. BÜLAU, Verfass. § 12, p. 39; Gesch. Deutschl. p. 541.

[3] Actum hoc decreto quoque est de selectorum collegiorum nec non tertii generis coetuum (Deputationen) emendanda constitutione aliisque similibus argumentis. BÜLAU, Gesch. p. 542.

[4] BÜLAU, ibid. coll. eod. Verfass. § 6, p. 13; MILHAUSER, § 20. not. h; BLÜMNER, op. c. p. 72.

tuum provincialium electione constituerentur, qui deliberantibus de re publica nobilibus adsociandi essent. Quorum in haereditariis regionibus viginti novem, id est, in circulo Misniensi decem, in Lipsiensi novem, in Erzensi-montano quinque totidemque in Voigtlandensi; in Superiori vero Lusacià undecim creari jubebantur; hac designandis indulta conditione, ut, quoad explendo huic mandato jure idonei haberentur, publici conventus integra usuri societate, tum certas quoque stationes in selectorum occupaturi essent collegiis [1]. Observatum tamen de horum electione legatorum velimus, nec remotos ab ea fuisse, quos equestrium bonorum possessores antiquior nobilitas insigniret, nec de mandati obeundi ratione suam nominatis aperire voluntatem electoribus licuisse. Efficaciorem vero publici status emendationem, qua majora certioraque ipsi jura consequerentur, saepius dehinc flagitantibus ordinibus [2], quin et hoc agentibus, ut, qui de nova referrent ordinum inducenda constitutione, viri aliquot prudentissimi seligerentur [3], aurem rex praebere constanter denega-

---

[1] MILHAUSER, § 22, p. 74, sq. et not. e; BÜLAU, Verfass. § 12, p. 33 et 39; BLÜMNER, op. c. p. 66, sqq.

[2] MILHAUSER, ibid. p. 75; BÜLAU, ibid. p. 39; Gesch. Deutschl. l. c. Rogantes tamen anno 1821 ordines, ut de iis, quae in conventu acta fuissent, accuratius ad civium notitiam perferendis decerneretur, voti sui pro parte compotes exstiterunt. MILHAUSER, ibid. et not. i.

[3] Epistolâ d. 25 April. 1825, qua persuasum sibi factum ordines professi sunt: »Das Modificationen und Zusätze allein nicht hinreichen würden, den organischen Mangeln der Landtagsverfassung abzuhelfen, und ein zweckmässiges Ganzes herzustellen; weshalb sie sich gemüssigt sahen, um Bestellung einer aus königlichen Räthen und einigen ständischen Mitgliedern zu vereinigenden Commission zu bitten, die sich gemeinschäftlich über eine neue Landtagsverfassung berathen und einen,

vit [1], neque aliam rationem anno 1827 defuncti successor ANTONIUS ineundam sibi existimavit [2], donec, ut ab ea deflecteret, exortis anno 1830 motibus popularibus tandem persuasum ei fuerit [3]. Horum enim tumultuum opportunitate, vehementer ab optimo quoque civium, vitiorum, quibus laborabat civitas, desiderari sanationem, certissimo illi patuerat indicio [4]. Itaque, postquam agnatum suum FREDERICUM AUGUSTUM, aetate se vegetiorem, in imperii societatem adsumsisset ac LINDENAVIUM, acceptum populo virum, administrandae civitati praeposuisset [5], d. m. Octobr. 5⁰, sub nomine

der nächsten Ständeversammlung vorzulegenden, Entwurf hierüber ausarbeiten sollte." V. BÜLAU, ll. cc. BLÜMNER, op. l. p. 87, sqq.

[1] MILHAUSER, § 22, p. 75 et not. f. Responsio regis ad ordinum d. 25 Apr. 1821 epistolam (d. 2 Jun. 1821) exscripta legitur apud BÜLAU, Gesch. ibid. Verfass. p. 40. Idem vero rex quam studiose hoc tempore versatus sit in compluribus, quae rem publicam spectabant, institutis aut perficiendis aut emendandis, videas apud PÖLITZ, op. l. II, p. 267, sqq. p. 349; MILHAUSER, § 22, not. g et h.

[2] BÜLAU, Verfass. ibid. Gesch. p. 543, sqq.

[3] BÜLAU, Gesch. p. 545, sq. Verfass. l. c. Anonymus in: Sachsen's Umbildung seit dem Jahre 1830, Leipz. 1833.

[4] MILHAUSER, § 23, p. 77 et not. b. Cff. Mandatum d. 5 Oct. 1830 et Decretum d. 1 Mart. 1831. Complura sane erant in regiminis tum formâ tum exercitione, quae amplius tueri intolerabile videbatur. Nam et administrandi rationes implicitas esse atque incommodas apparebat; et jurisdicundi ritus tarditate, inconcinnitate, sumtuositate laborabant; et rei tributariae descriptio pauperes homines, agricolas praesertim, immodice premebat; et plebejorum invidiam insignis, quo nobiles florebant, favor suscitaverat; et municipiorum imprimis gubernatio sic multis gravibusque vitiis infecta reperiebatur, ut ex illa plus commodi in magistratus quam in civium universitatem redundare soleret. V. BÜLAU, Gesch. p. 543, 544 et apud VON ROTTECK et VON WELCKER, in: Staatslexikon, V. XIV, p. 187, 188, (v. Sachsen.)

[5] Declaratione d. 13 Sept. 1830. V. Gesetzsamml. 1830, p. 159; BÜLAU, Verf. l. c. et in: Staatslex. ibid. p. 188; MILHAUSER, l. c.

mandati epistolam edidit, qua, de constituenda re publica popularique informanda legatione jam jam legem rogatum iri, promittebat, simulque hoc agitari adnuntiabat, ut aptior vectigalium descriptio novaque circa municipiorum regimen proponerentur instituta [1]. Deinde, recens ex anni 1830 conventu, non sine votorum animose a se elatorum repudiatione, dimissi ordines [2], in diem 1 m. Marti a. 1831 iterum advocati fuerunt, quo tempore congressis tum ipsius legis publicae tum aliarum, de populi mandatariorum electione (Wahlgesetzes) de familiae in regia gente jure (Hausgesetzes) de redemtionibus (Ablösungsgesetzes) deque re municipali (Städteordnnng) legum specimina, addita de causis reformandae civitatis epistolâ [3], subjicienda principes curaverunt [4]. Et legem publicam, accurate peracta deliberatione variisque minoris fere momenti placitis a sese

---

[1] Gesetzsamml. 1830, p. 175; MILHAUSER, l. c. PÖLITZ, Europ. Verf. V. 1, P. I, p. 200, sq. BÜLAU. Verfass. l. c.

[2] MILHAUSER, § 22, p. 75 et not. f; BÜLAU, Verfass. § 12, p. 40; Gesch. p. 545.

[3] Decreti d. 1 Mart. 1831 prooemium legitur apud MILHAUSERUM, § 23, not. f. Plura inde excerpsit PÖLITZ, Europ. Verf. l. c. p. 201, sqq.

[4] BÜLAU, Verfass. l. c. Staatslex. l. c. MILHAUSER, § 23, p. 77 et not. e et f. De ipso legis publicae specimine multi scripserunt; in his BÜLAU et WEISKE, Rechtl. u. Staatswissenschaftl. Mittheil. über Sachs. Leipz. 1831; VON BENZEL-STERNAU, Sachs. Verfassungsentw. beleuchtet u.s.w. Han. 1831; KRUG, Ueber d. Wiedergeburt. d. Kön. Sachs. Leipz. 1831. Specimen vero de re municipali legis vim accepit d. 2 Febr. 1832, de redemtionibus d. ejus. a. 17 Martii. De lege super electionibus infra dicturi sumus. Cf. MILHAUSER, § 3, p. 4, 5. Specimen denique de familiae in gente regia jure quominus integrum vigeret legis publicae placito (§ 23) prohibitum est. Pleraque tamen illius capita vel citra ordinum consensum invalescere potuerunt. V. BÜLAU, Verf. § 20, p. 96.

retractatis, aliquot post mensibus ratam ordines habuerunt [1], integrum civitatis moderatoribus relinquentes, ut, de quibus gravioribus argumentis convenire inter ipsos haud potuisset, haec illi propria auctoritate absolverent; qua in re eam hi decernendi viam ingressi sunt, quae tuendis civium juribus merito aptissima videretur, idque praesertim valet de ordinum palam celebrandis concionibus deque legationis capacitate immobilium dominio carentibus urbanis hominibus attribuenda [2]. Itaque, d. m. Septembris 4^{0}, ordinibus solemni ritu tradita lex publica, tamquam futurum jus civitatis, simul cum Recessu Ordinum, ejusdem diei adscripto titulo, promulgata est [3]. De cujus legis ferendae ratione illud etiam notemus oportet, ideo maxime, ipsis profitentibus in d. 1 Mart. decreto principibus, sententiam super ea rogari ordines necesse fuisse, quod, ex placito Germanicae Confoederationis, Viennae anno 1820 sancito, quamcumque usu vigentem ordinum constitutionem haud aliter atque ex juris publici praeceptis (auf verfassungsmässigem Wege) immutari liceret [4]: abrogandi igitur circa Saxonicos ordines veterem consuetudinem is modus

---

[1] MILHAUSER, § 23, p. 78 et not. l. BÜLAU, Staatslex. l. c. Verf. p. 40. Jam deliberandi super lege publica sinpliciorem iniri formam placuit, quam observari hucusque insueverat. MILHAUSER, p. 77 et not. g.

[2] BÜLAU, Verf. p. 40, 41 et not. 11. Cf. lex publ. § 35; lex de election. d. 24 Sept. 1831, § 56, N°. 2—4.

[3] BÜLAU, Verf. p. 41; MILHAUSER, § 23, p. 78 et not. m; Sachsen's Umbild. p. 141.

[4] Vid. § 56 Consultationis de excolendo confirmandoque foedere Germanico (Schlussacte der, über Ausbildung und Befestigung des Teutschen Bundes, zu Wien gehaltenen Ministerialconferenzen) editae d. 15 m. Maji a. 1820, tamquam lex Confoederationis Germanicae ratae habitae ejusd. a. d. m. Junii 8. De qua Consultatione adeundus est

prae caeteris adhibendus esset, qui recepto jam pridem apud illum populum jure, unice, quod eam quaestionem attinet, probaretur, id est, consensum suum ordinibus interponentibus [1]. In eodem d. 1 Mart. sive decreto sive epistolâ edictum reperimus, ut, quamquam in informando legis publicae specimine illud maxime consilium assequi principes studuissent, ut, propter additam legi clausulam, sublata haberi quaecumque illi repugnantia placita hucusque viguissent [2], institutorum variis in provinciis locisque mirabilis varietas ad unam eamdemque speciem, quantum fieri posset, utiliter redigeretur; tamen et privilegia capitulo episcopali Misniensi capitulatione acquisita et dynastis Wildenfelsensibus gentique Schonburgensi, ex initis cum illis Re-

---

KLÜBERUS, O. R. d. T. B. § 56 ibique not. g, § 70, not. c et e, § 116, not. d, § 176, § 284[a]. Exscripsit decretum PÖLITZ, Europ. Verfass. I. I. p. 28, sqq.

[1] Decret. d. 1 Mart. 1831 (PÖLITZ, op. c. I. I, p. 202) »Ihre Königliche Majestät und Königliche Hoheit wollen, eingedenk der Bestimmungen der Teutschen Bundesgesetze, und der von Allerhöchstdenenselben selbst und Ihren Regierungs-Vorfahren wiederholt ertheilten Versicherungen, die, in Ihren Landen in anerkannter Wirksamkeit bestehende, landständische Verfassung auf verfassungsmässigem Wege, durch Uebereinkunft mit den jetzt anwesenden getreuen Ständen abändern." u.s.w. Cujus testificationis, pacto hanc niti legem publicam, legibus, decretis aliisque similibus scriptis saepius deinde repetitae exempla attulit MILHAUSERUS, § 23, not. 1. Vid. etiam BÜLAU, Verfass. § 12, p. 31 et not. 1. Eo igitur nomine, a Bavarica, ut hac utamur, a. 1818 Constitutione Saxonica discrepat lex publica, quod illa quidem a solius regis auctoritate, haec vero a communi regis ordinumque voluntate repetita fuerit. Vid. KLÜBER, op. c. § 283, not. e; MILHAUSER, § 11, p. 30 et not. c et d.

[2] Constitut. Saxonica d. 4 m. Sept. 1831, § 154 (Specim. d. 1 Mart. 1831, § 146). Cf. BÜLAU, Verfass. § 12. p. 41.

cessibus prognata singularis juris conditio, incolumes ad illud usque tempus permanerent, quo de istis privilegiis, quatenus placitis communibus adversarentur, sic immutandis, ut aetatis hujusce usibus accommodatum censeretur, cum illis quibus ea suppeterent, pacisci licuisset [1]. Quandoquidem porro hac lege publica ejusdem juris vinculo cunctas regni partes conjungi jubente [2] ea certe, quae ab illa recederent, propria Lusaciae Superioris instituta necessario abrogarentur, sponsionem d. 1 Mart. decreto insuper expressam reperimus, ut de istius abrogationis modo effectibusque accuratius definiendis ipsos Lusaciae ordines separatim conveniri oporteret [3]. Quibuscum igitur, anno 1832, pactum biennio post ab universalibus ordinibus confirmatum exstitit ejusmodi, quo quaedam diserte ibi memorata populi Lusaciensis placita, quippe legi publicae omnino congruentia, integra servari, caetera vero omnia postliminio restitutum iri pronuntiaretur, simulac contigisset, ut provinciales illi communi jure Saxonico uti

---

[1] Decret. 1 Mart. 1831 (PÖLITZ, ibid. p. 204.) Cf. quae supra memoravimus, p. 221, 222; MILHAUSER, § 23 in f. De episcopatus Misniensis haereditariis regionibus anno 1666 conjuncti quibusdam post illud tempus servatis privilegiis, vid. WEISSE, Staatsr. V. I, p. 26 - 32; MILHAUSER, § 16, not. rr, § 17, p. 53, § 35, not. b; BÜLAU, Verfass. § 5, p. 11. Initum igitur est, d. 9 Oct. 1835, cum gente Schonburgensi pactum anni 1740 Recessibus ita derogans, ut crebrarum isti genti suppetentium immunitatum longe major pars evanesceret. V. BÜLAU, Staatslex. l. c. p. 194.

[2] Constitut. d. 4 Sept. 1831, § 1: »Das Königreich Sachsen ist ein unter Einer Verfassung vereinigter, untheilbarer Staat des Teutschen Bundes." Cf. BÜLAU, Verfass. § 7, p. 16, § 9, p. 20.

[3] Decret. 1 Mart. 1831 (PÖLITZ, ibid.) Cf. MILHAUSER, § 16, in f. BÜLAU, Verfass. § 16.

amplius non possent [1]. Denique principes edixerunt, propterea quod, convenienter oblatae legis praecepto, regios ministros, ad rationes gestae rei publicae ordinibus reddendas obstrictos, constitui necesse esset [2], jam singulis, quae civitatis gubernationi praecipue subjecta haberentur, capitibus, rei videlicet judiciariae, publicae pecuniae curationi, rebus ad internum regni statum pertinentibus, rei militari, rei sacrae, rebus cum exteris gerendis, singulos ministros, tollendis concilio consistorioque privatis, praeficere sese paravisse [3]. Atque ex hoc eorum decreto fluxit deinde d. 7 m. Novembr. 1831 de officiis ministrorum ordinatio [4].

Hoc igitur modo Constitutio exstitit Saxonica d. 4 m. Septembris a. 1831 [5]; cujus complura capita variis deinceps legibus atque edictis diligentius exculta elaborataque fuerunt [6]. Eam praeclaris laudibus multi exor-

---

[1] BÜLAU, Verfass. § 7, not. 7b, § 25, not 12; Staatslex. ibid.

[2] Specim leg. publ. d. 1 Mart. 1831, §§ 38, 39, 132, 133. (Constitut. §§ 42, 43, 140, 141.)

[3] Decret. 1 Mart. 1831, p. 203. Constitut. § 41.

[4] MILHAUSER, § 3, p. 4; BÜLAU, Staatslex l. c p. 188.

[5] Inserta legitur in: Gesetzsamml. 1831, p. 241, sqq. et in Act. Ordd. 1830 et 1831, IV, p. 2333, sqq. Exscripsit eam quoque PÖLITZIUS, I, 1, p. 220—247; tum auctor operis: Constitutionelle Taschenbibliothek für Sachs. Staatsbürger, V. I, 1834. Commentariorum in illam scriptores resensuit MILHAUSER, § 5, p. 12, sq Jus publicum Saxonicum, post conditam hanc legem, praeter BULAVIUM atque MILHAUSERUM, nuperrime explicuit HERMSDORF, Die Verfassungsurkunde für das Königr. Sachsen mit den sie ergänzenden Bestimmungen zusammengestellt, Leipz. 1839.

[6] Vid. Decret. d. 1 Mart 1831 (PÖLITZ, l. c. p. 203); Constitut. §§ 23, al. 2, 25, 35, 39, al. 1 et 2, 44, 45, 49, al. 2, 55, al. 2, 70, al. 3, 77, 137. Cf. MILHAUSER, § 3, p. 4, sq. Praecipuae autem leges, unde, juxta Constitutionem a. 1831, publici juris Saxonici repetenda est cognitio, praeter illas quas supra memoravimus, hae censeri debent: lex de officii

naverunt [1], et sane, dici vix potest, quam faustam ea pepererit tot vitiis ac defectibus misere polluti juris publici emendationem. Nobis indicare sufficiat, accepta huic legi aliisque deinde ex illa prognatis ea prope omnia salubria placita referre civitatem, quae ab optimo quoque civium jam pridem acerrimo studio desiderata fuissent. Hae enim et cunctorum civium liberta-

militaris expletione, d. 26 Oct. 1834; de indigenatu, d. 26 Nov. ej. a. de rite definienda judicialium magistratuum atque eorum, qui in rei publicae versantur administratione, in jure dicundo competentiâ, d. 28 Jan. 1835; de magistratibus judicialibus superioribus deque variis tribunalium ordinibus, ej. d. de foris privilegiatis, ej d. de judiciorum coram magistratibus administrationi praefectis ritu, d. 30 Jan. 1835; de civitatis magistratibus, d. 7 Mart. 1835; ordinatio de circulorum informanda gubernatione, d. 6 Apr. ej. a. lex de judiciorum ritu coram tribunali, cujus est de delictis in Constitutionem admissis cognoscere (Staatsgerichtshof: v. Const. § 142, sqq.) d. 3 Febr. 1838; codex juris criminalis, d. 30 Mart. 1838; lex de juribus civilibus Judaeorum, d. 16 Aug. ej. a. ordinatio de municipiis ruralibus, d. 7 Nov. ej. a. V. MILHAUSER, l. c. BÜLAU, in Staatslex. l. c. p. 194, sqq.

[1] BULAVIUS (Verfass. p. 31) »Die neue Verfassung," inquit, »ist kein erzwungenes Kind revolutionairen Strebens, das sich losreisst von Geschichte und Verfassung und in seinem Ursprunge schon das Kainszeichen der Gesetzwidrigkeit trägt, aber sie ist auch kein aufgedrungenes, nach der einseitigen Richtung des Gebers gemodeltes, Geschenk." Idem recentissime (Staatslex. l. c. p. 189 hoc de lege publica tulit judicium: »Die Verfassungsurkunde ist zuvörderst ein wahres Grundgesetz des Landes, das sich mit Klarheit, Offenheit und Bestimmtheit über das ganze Verhältniss des Staats, der Regierung, der Staatsbürger zum Staate, über wichtige Richtschnuren der Gesetzgebung ausspricht. Es begründet eine ständische Volksvertretung mit öffentlichen Sitzungen, zweckmässigen Verhandlungsformen und darauf berechnet ein Abbild des Volks zu sein. Hier mag nur bemerkt werden, dass — überall das Streben nach möglichst bestimmter und sicherer Fassung, nach Feststellung solcher Grundsätze, die man auch nach Geist und Buchstaben zu halten entschlossen war, durchleuchtet."

tem, rusticis praesertim laetiore juris asserta conditione [1], probabiliter vindicarunt [2]; et, sublatis, quae in grave tenuiorum hominum detrimentum nobiles usurpassent, privilegiis [3], civitatis tum onerum ferendorum obligationem, tum honorum capessendorum facultatem omnibus classibus exaequarunt [4]; et deinde administrandi aptiorem simplicioremque induxerunt rationem [5]; et aequiorem ad normam tributorum exactionem emendarunt [6]; et porro validis praesidiis publici juris religionem circumsepserunt [7]; et denique ordinum universi populi causam agentium [8] eam descripserunt constitutionem iisque eum tractandae rei publicae ritum injunxerunt, eum praesertim jurium ambitum largitae sunt [9], quibus faustiora ac liberaliora, in lege ad recens in Germaniâ conditarum legum publicarum effigiem, ipsis testibus ejus auctoribus, informata [10], haud sane exspectare licuisset [11]. Nec singularem legis publicae clausulam de

---

[1] Constitut. § 68, n°. 3; BÜLAU, Verf. § 6, p. 13, 14 et not. 10, § 11, p. 28, coll. legibus de emendanda rusticorum conditione liberandaque agriculturâ, dd. 15 Jul. 1833, 14 Jun. 1834, 27 Mart. 1838.

[2] Constitut. Sect. III et §§ 48, 49, 51. Cf. BÜLAU, Verfass. §§ 43, 44, 46.

[3] Constit. § 55; BÜLAU, Verf. § 11, not. 15 et p. 243, coll. p. 27.

[4] Constit. §§ 30, 34, 38, 39, al. 2, 40, BÜLAU, § 45.

[5] BÜLAU, Staatslex. l. c. p. 188, 195.

[6] Const. § 39. Cf. BÜLAU, Verf. p. 244, sq.

[7] Const. Sect. VIII. Cf. MILHAUSER, § 24.

[8] Const. § 78, coll. MILHAUSER, § 42, p. 133.

[9] Const. Sect. VII. Cf. MILHAUSER, § 42, sqq. BÜLAU, § 24, sqq.

[10] Decret. 1 Mart. 1831 (PÖLITZ, l. l. p. 201, 203); ipsius Constitut. prooem. Cf. BÜLAU, Staatslex. l. l. p. 189.

[11] Perutile etiam accidit, quod, legis publicae condendae opportunitate, bona principis fiscalia, de quorum amplissimo proventu sic liberum illi arbitrium suppetierat, ut multum inde efficacitatis ordinibus super publicis reditibus auctoritati detractum fuisset, velut pacto cum ordinibus

iis, quae circa placiti cujusque abrogationem, immutationem novorumque adjectionem observanda sint, negligere debemus. Quum enim et regi et ordinibus, ut hujusmodi perficiendi consilii auctores esse possint, concedatur: secus atque in caeteris legibus, quarum scilicet rogandarum uni regi tributa fuerit facultas, hoc tantum ordinibus indulto, ut regi sive novae legis lationem sive jam sancitae commendent immutationem [1]: ordinum tali in quaestione statuendi sic definitam auctoritatem invenimus, ut non tantum, qui in nullis non legibus recipiendis [2], amborum coetuum consensus postuletur, verum etiam requiratur, ut in utroque coetu, coram omnium illius sociorum trinis quartis, e suffragio vero eorum, qui adsint, binarum tertiarum partium conditum decretum fuerit: quum de caeteris omnibus quaestionibus ea valere decreta jubeantur, quibus edendis, in priori coetu dimidia, in altero duae tertiae sociorum partes affuerint eaque praesentes frequentià consenserunt, qua vel singulari suffragio dissentientium numerus

---

inito, in aerarii accessionem alienata ordinumque subjecta moderationi fuerunt; regi vero annuam pensionem, indemnitatis nomine, constituere placuit. Vid. Decret. 1 Mart. 1831 (PÖLITZ, l. l. p. 202); Const. §§ 16—20, 22, 108. Cf. MILHAUSER, § 23, p. 78 et not. k, §§ 32—34, 65; BÜLAU, Verf. §§ 19 et 40.

[1] Const. § 152, al. 1, coll. § 85. Notandum est, confecto principum auctoritate legis publicae specimine commune circa leges rogandas jus ad ipsam etiam Constitutionem porrectum fuisse. Vid. Spec. leg. publ. 1 Mart. 1831, § 144, al. 1.

[2] Const. §§ 62. 86. Quod tamen ipsum circa leges eas ita restrictum est, ut, quoties in diversis uterque coetus abierit sententias isque dissensus tolli haud potuerit deliberatione, secundum Const. § 131, a selectis utriusque sociis instituta, rata habita lex proposita censeatur, nisi e sociis in alterutro coetuum praesentibus duarum tertiarum ad minimum partium adversentur suffragia. Vid. §§ 91, 92.

exsuperetur [1]; denique caveatur, ut nequeat rex ejusmodi legem ab ordinibus rogari, nisi in duabus deinceps celebratis ordinariis concionibus idem super illa scitum perferri contigerit [2]. Quale tamen decretum ne in primo post editam legem publicam habendo conventu aut proponi fas esset aut ratum haberi, insuper vetitum reperimus [3]. Quibus omnibus addendum est, quod imperantis hac in re fungi partibus vicario regis permissum non est, nisi sententiam rogati principis propinqui, de quibus sermo est Const. § 11, consilium approbaverint decreto ad praescriptam ibidem normam sancito [4].

Quod igitur, ne legi publicae facile derogaretur, diligentius etiam prospicere placuit quam ne caeteris, ideo praecipue commemorandum judicavimus, quia Saxonicorum ordinum descripturi constitutionem, in iis quidem exponendis, quae ad coetus utriusque compositionem [5], communes tum ordinum societatis obeundae,

---

[1] Const. § 153, coll. § 128. A neutro coetuum ulla potest obiri deliberatio, nisi coram legitimi sociorum numeri parte ad minimum dimidia. V. § 127.

[2] Const. § 152, al. 2. Neque hoc placitum, ad impediendum quo minus temere de immutanda lege publica decernatur efficacissimum, neque addita illi clausula, agi super hujusmodi innovatione in proximo habendo ordinum conventu non licere, oblato a principibus legis publicae specimini inserta fuerat. V. Specim. cit. § 144, al. 2.

[3] Const. ibid.

[4] Const. § 12, al. 2, § 11. Cf. BÜLAU, Verf. § 23, p. 109 et not. 4 et 5. Fluxit hoc quoque praeceptum ex ordinum de lege publica consultatione. Principes ita rogaverant, ut, quod ad formam innovandi nihil singulare vicario praescribentes, factas sub eo legis publicae mutationes ad illud modo tempus, quo rerum ipse rex potiturus sit, valituras pronuntiassent. At contra, ut perstare iis juris vigor deberet, sancitum est. Vid. Spec. cit. § 11, coll. Const. § 12, al. 2.

[5] Const. §§ 63—69.

tum obituros eligendi conditiones [1], muneris denique abdicandi causas necessarias [2] unice pertineant, ex ipsa lege publica de ordinibus in Sectione VII[a] statuente haurire, tamquam ex fonte, debebimus; in capacitatis vero normis cuique ordini propriis ipsarumque electionum gradibus, modis, ritibus enarrandis, ad leges de his argumentis postea sancitas, eam longe maxime, quae simul cum legis publicae specimine ordinum conventui subjecta, mox ab iis probata dieque 24[0] m. a. 1831 Septembris, juris est vigorem consecuta [3], solummodo recurrendum nobis erit; hoc igitur velut stabilitatis inter ambas placitorum series discrimen operae pretium visum est antea significasse. Quamquam simul animadvertere nos oportet, legem illam de mandatariorum populi electione sic gravem visam esse Constitutionis Saxonicae auctoribus, ut diserte super illa decernendum judicaverint, eam, etsi minime pars esset ipsius Constitutionis, ne tamen absque ordinum consensu immutari liceret [4], quasi hujusce legis respectu illud vel potissimum observari volentes, quod caeterum omnes pariter complecti profiterentur [5]; tum eamdem hoc nomine melioris

---

[1] Const §§ 70, 73—75. [2] Const. § 71.

[3] Const. § 77. Cf. MILHAUSER, § 3, p. 4, § 51, p. 155 et not. c; BÜLAU, Verf. § 29, p. 137. Huic igitur eximie nomen venit legis de electionibus (Wahlgesetzes). Caeteras ad idem argumentum pertinentes leges infra notabimus

[4] Const. l. c. „(Das Wahlgesetz) ist zwar kein integrirender Theil der Verfassung, kann aber ohne Ständische Zustimmung nicht verändert werden."

[5] Fieri tamen potest, ut haec diserta juris ordinum circa legem de electionibus mentio e specimine d. 1 Mart. legi publicae adhaeserit. Quo scilicet quum ordinum consensus haud universe ad cunctas leges sanciendas requireretur, verum ad eas, quibus aut in ipsa Constitutione

fecerint quam reliquas conditionis, quod eam haud secus ac legem publicam tributae regi potestati eximerent, de rebus ordinum naturâ sua deliberationi subjectis toties proprio marte statuendi, quoties, gravi urgente necessitate, ipsam rei publicae salutem promtum poscere consilium appareat [1].

§ 2.

De Ordinum compositione, secundum legem publicam d. 4 Sept. 1831.

Universi regni Saxonici universalis habetur, secundum legem publicam, Ordinum congressus in duos coetus (Kammern) distributus [2].

Diaeta provincialis in Lusaciâ Superiori, tum circulares conventus in veteribus regionibus haereditariis retinentur, salvis iis mutationibus, quas utrisque inferri, necessarium visum fuerit [3].

Utrique conventui paria jura paresque facultates attributae sunt [4]. Eodem loco eodemque tempore uterque celebrari debet [5]. De singulis videamus.

In priorem coetum adscribuntur:

1) regiae stirpis principes majorennes;
2) capituli Misniensis legatus unus;
3) possessor dynastiae Wildenfelsensis;

---

quid innovaretur, aut de personarum libertate jurisque dominii hominum Saxonicorum decerneretur, aut communia denique erga civitatem officia praescriberentur, talis ibi commemoratio certe minus erat supervacua habenda. Vid. Spec. cit. § 73, coll. § 100.

[1] Const. § 88. Cf. BÜLAU, Verf. § 39, p. 200, sq. et not. 3.

[2] Lex publ. 4 Sept. 1831, § 61, al. 1.

[3] Ibid. § 61, al. 2.

[4] Ibid. § 62, al. 1. [5] Ibid. § 62, al. 2.

4) Possessorum quinque harum dynastiarum Schönburgensium (Recessherschaften) Glauchau, Waldenburg, Lichtenstein, Hartenstein et Stein legatus unus.

5) Legatus unus Academiae Lipsiensis, quem ipsi academici ex ordinariorum professorum numero designaverunt;

6) Possessor dynastiae (Ständesherrschaft) Königsbrück;

7) Possessor dynastiae (Ständesherrschaft) Reibersdorf;

8) Primarius concionator aulicus;

9) Decanus capituli Sti Petri in urbe Budissin, simul tamquam superioris ordinis pontificius Catholicus, qui si impeditus fuerit aut defunctus, substituitur ei unus ex tribus capitulariis;

10) Praefectus rei ecclesiasticae Lipsiensis, cui nomen est Superintendent;

11) Legatus a capitulo collegiali in urbe Wurzen designatus;

12) Legatus unus ex quatuor dynastiis feudalibus (Ständesherrschaften) Schönburgensibus, Rochsburg, Wechselburg, Penig et Remissen;

13) Duodecim ad vitam electi legati possessorum praediorum equestrium;

14) Decem a rege ad vitam designati possessores fundorum equestrium;

15) Primarii magistratus urbium Dresdae atque Lipsiae;

16) Primarii magistratus sex urbium libere a rege seligendarum, ita tamen ut, quantum fieri possit, ratio habeatur omnium civitatis partium [1];

Possessores dynastiarum, § 63, sub N^is^. 4, 5, 6, 7, 12

---

[1] Ibid. § 63.

designati, si minorennes sint aut aliis de causis a coetu comprobatis impediantur, quominus in coetum ventitent, suppleri possunt ab iis proximis, qui ex praeceptis § 74 leg. pub. ad illud munus obeundum idonei habeantur. Possessoribus dynastiae Wildenfels ac dynastiarum Schönburgensium concessum in omne tempus est, ut, propter haereditaria, quibus gaudeant, suffragia, mandatarios suos in coetum introduci jubeant, dummodo his adsint ea, quae, secundum § 74, requirantur possideantque in Saxonico regno bonum equestre [1].

Duodecim legati possessorum bonorum equestrium eliguntur in circularibus atque in provincialibus Lusaciae Superioris conventibus [2].

Electionis officii particeps est quisque possessor praedii equestris, secundum legis de electionibus praecepta [3].

Eligi possunt tantum illi bonorum equestrium possessores, qui ex praedio suo quotannis ad minimum duo millia thalerorum tamquam reditum integrum, percipiant. Tabulae bonorum equestrium jus tum prioris tum alterius coetus impertientium perscripta, subinde concurrentibus ipsis possessoribus in conventibus circularibus aut provincialibus, retractationi subjicienda, peragendae electioni omni tempore ponatur fundamentum [4].

Quisque decem possessorum bonorum equestrium a rege designandorum ex uno pluribusve in Saxonico regno sitis bonis equestribus annuum reditum thalerorum ad minimum quater mille redigat oportet. Potest rex in hac facienda nominatione rationem quoque habere possessorum dynastiarum (Recess- und Ständesherrschaften)

---

[1] Ibid. § 64.
[2] Ibid. § 65, a. 1.
[3] Ibid. § 65, al. 2.
[4] Ibid. § 65, al. 3.

Schönburgensium, quo casu tamen detrahenda sunt suffragia hisce dynastiis jam haereditario jure competentia [1].

Administri regis, tempore quo munere suo funguntur atque aulici homines stipendiarii designari nequeunt. Denarius autem numerus semper adesse debet [2].

Socii coetus prioris, qui vi muneris sui ad istam societatem admittuntur, eam retinent donec illud amittant [3].

Delegati capitulorum neque non Lipsiensis Academiae, ut et mandatarii dynastiae Wildenfels ac dynastiarum (Recessherrschaften) Schönburgensium, dignitatem suam sibi vindicant, donec proximus successor, ratione, quam lex comprobat, jus suum patefecerit [4].

Possessores equestrium fundorum tum electi tum a rege designati, jus societatis in coetu priori eousque retinent, donec permaneant iis, propter quae aut hi designari, aut illi tum omnino tum respectu districtus sui eligi potuerint. Praeterea decedunt electi equestrium fundorum possessores, ubi tempore muneris apud ordines obeundi, sive publicum officium gerendum acceperint, sive in operâ civitati navanda promoti fuerint, sive denique stipendiarium apud aulam munus susceperint. Possunt tamen ab integro prioris coetus socii eligi [5].

Utrique classium equestrium bonorum possessorum facultas permissa renuntiationis est propter morbum sonticum a medico testificandum, tum propter alias causas, respectu aut rei suae familiaris aut muneris, reapse eos ac perlongum tempus impedientes, quominus

[1] Ibid § 65, al. 4.
[2] Ibid § 65, al. 5.
[3] Ibid. § 66, al. 1.
[4] Ibid. § 66, al. 2.
[5] Ibid. § 66, al. 3.

concionibus adsint; denique propter aetatem sexagenariam aut tres ordinarias diaetas jam antea frequentatas[1].

Priori coetui praeses, singulis habendis diaetis, a rege eligi debet ex munero eorum sociorum, qui dynastias bonave equestria possideant. Interdictum huic est domicilio apud exteros[2].

Qui deficienti praesidi sufficiatur vicarius a rege nuncupatur ex tribus ab ipsis sociis selectis candidatis[3].

In hoc delectu videndum est, ut numerum suffragiorum assequantur, qui reliquorum numerum cunctorum superet. Qualis si post suffragia ter perlata haud fuerit editus, is eligi debet, cui prae caeteris plura suffragia obtigerint[4].

§ 3.

De coetu altero.

Constat coetus alter:

1) legatis Possessorum equestrium praediorum viginti;

2) legatis urbium viginti quinque;

3) legatis ex ordine rusticorum viginti quinque;

4) mandatariis mercatorum ac fabricatorum quinque[5].

Cuique socio alterius coetus vicarius sufficiendus adjicitur. Hic absentis impeditive socii locum supplet; casu vero mortis aut decessus ob aliam causam ita tantum, quando casus iste aut ipsius habiti conventus tempore, aut tam breve ante acciderit, ut instaurandae electionis opportunitas defecerit; si secus fuerit ad novam designationem transeundum est, cum delegati tum vicarii[6]. De admittendo vicario statuit coetus. Lega-

[1] Ibid. § 66, al. 4.
[2] Ibid. § 67, al. 1.
[3] Ibid. § 67, al. 2.
[4] Ibid. § 67, al. 3.
[5] Ibid. § 68.
[6] Ibid. § 69.

torum equestrium praediorum possessorum in alterum coetum eorumque vicariorum electio in concionibus peragitur circularibus ac provincialibus [1]. Suffragii jus in iis electionibus habent possessores bonorum, quibus lex de electionibus hancce facultatem attribuit; eligi possunt illi tantum ex iis, qui bonum possideant ejusmodi, cujus integer reditus annuus sexcentis ad minimum thaleris aestimetur [2]. Designationes autem possessorum equestrium, tum urbanorum atque rusticorum legatorum, ut et horum omnium vicariorum peraguntur ex praeceptis legis de electionibus. De eligendis mandatariis mercatorum [3] et fabricatorum peculiari decreto statuitur.

Tertio quoqe anno, ordinario conventu absoluto, pars legatorum in altero coetu decedit [4].

Qui certorum legatorum decessus ut ordine peragerentur, primo habendo conventu sortitio fieri debuit. Atque constitutum fuit, ut post primum conventum excederent sex equestrium possessorum legati, tum octo legati urbani, octo pariter legati rustici atque unus mercatorum ac fabricatorum mandatarius, illi scilicet quibus infimi in sortitione numeri obtigissent; post alterum vero celebratum conventum, septem equestrium fundorum domini, octo legati urbium, totidem rusticorum ac duo mercatorum, illi qui proximos prioribus illis numeros duxissent; denique reliqui omnes legati post conventum tertium excederent. Delegati postea electi tertio habito postquam electi sunt conventu ordinario decedunt.

Decedentes iterum eligi statim possunt.

---

[1] Ibid. § 70, al. 1.

[2] Ibid. § 70, al. 2.

[3] Ibid. § 70, al. 3 et 4.

[4] Ibid § 71, al. 1.

In alterum coetum legati vel prius societatis amittunt facultatem:

a) si conditiones requisitas, sive omnino sive ordinis districtuve, quo electi sint, respectu, amiserint;

b) si tempore legationis obeundae, publicum quoddam officium aut stipendiarium munus aulicum susceperint;

c) si rex coetum dissolverit [1].

Casibus autem sub *b* et *c* indicatis iterum iidem eligi possunt.

Praeses alterius coetus ac vicarius deficienti ei sufficiendus a rege eliguntur.

In cujusque diaetae ingressu quatuor socii occulta suffragiorum latione a coetu sunt designandi, ex quibus rex unum praesidem unumque vicarium eligat. Ordinatio de diaetae habendae modo (Landtagsordnung) utriusque munus definit [2].

§ 4.

De electionibus sociorum in ordinum conventu, secundum legem de electionibus in regno Saxoniae, d. 24 *m. Septembris a.* 1831. (*Wahlgesetz für die künftigen Ständeversammlungen im Königreich Sachsen.*)

Electio legatorum, quos mittant in congressum ordinum possessores equestrium praediorum, urbani ac rustici homines, perficitur, ducibus magistratibus regiis iisque, quibus officium illud ipsi hi commiserint. Hisce videndum tantum est, ut legis praecepta in hoc negotio peragendo rite observentur, nec quam circa illud exerceant auctoritatem, ullam habent [3].

---

[1] Ibid. § 71, al, 5 sqq. [2] Ibid. § 12.

[3] Lex de elect. 24 Sept. 1831, § 1 et 2.

Legati possessorum equestrium praediorum ab his ipsis seliguntur; urbium autem atque ordinis rusticorum legati duplici electione, per interpositos electores (Wahlmänner). Ii scilicet, qui jus habent suffragii (Stimmgerechtigten) certo numero designant electores (Wahlmänner) quibus deinde incumbit legatorum nominatio [1].

Ut quis jus suffragii in tribus classibus habeat, requiritur:

1) domicilium intra limites civitatis;

2) annorum viginti quinque aetas expleta;

3) Christianae religionis confessio, nullo habito discrimine sectarum.

Incapaces sunt hujus juris:

1) qui curationi (Curatel) subjecti sunt;

2) mulieres;

3) qui victum quaerendi causâ stipem petunt;

4) qui bona sua aere alieno gravata habent, donec plane satisfactum fuerit creditoribus;

5) qui ultra spatium anni, post factam iis admonitionem, in morâ fuerunt publicorum municipaliumve tributorum solvendorum, donec, quod debeant, omne persolverint;

6) omnes a magistratibus publicis ac judiciali munere legitime remoti, tum, qui suspensi fuerint, per omne suspensionis suae tempus;

7) qui coram judice rei exstiterunt talium delictorum, ex quibus infamiam nasci, communis omnium est existimatio neque ea culpâ plane liberati fuerunt.

Num delictum ex hominium existimatione habendum sit infamiam afferre, respectu electoris, deciditur a con-

---

[1] Lex de elect. § 3 et 4.

gressu electorum; respectu vero legatorum, ab eo coetu, cui is legatus adscribendus est [1].

Qui suffragii jus habent, electores ex suo numero designant [2]. Electores vero in eligendis legatis minime adstringuntur corpori ipsi suo, verum ex iis omnibus designationem facere possunt, qui ad suam classem suumve districtum pertinent eaque habent, quae requiruntur, ut quis legatus eligi possit [3]. Quae requisita omnibus tribus classibus universe in eo constant, ut triginta annos natus sit legatus atque ea expleat quae, § 5 leg. de elect. 24 Sept. 1831, ad suffragii juris possessionem, quod verum domicilium attinet, postulentur, salvis circa legatos urbanos iis exceptionibus, quae ejusdem leg. § 56 et 60 constituuntur [4].

Qui apud externos militiâ fungitur, legatus nominari nequaquam potest, tamquam elector vero suffragii exercet facultatem [5].

Exortis sive de facultate eligendi, sive de jure legationis obeundae litibus, penes magistratus est decernere, excepto casu gravis delicti admissi, quem sub N°. 7 supra memoravimus. A quorum magistratuum sententiâ provocatio admittitur, ubi electorum res agitur, ad supremos magistratus, ubi vero legatorum, ad coetum, cui illi sunt adscribendi [6].

Qui suffragii ferendi facultate sunt instructi, ut et qui legatos designaturi sunt, convenire ita tantum possunt si a gubernatoribus rei publicae ad illud fuerint invitati. Si quis eorum congressus, de rebus ad electionem perti-

---

[1] Ibid. § 5.
[2] Ibid. § 6.
[3] Ibid. § 7.
[4] Ibid. § 8, coll. § 56, et 60.
[5] Ibid. § 9.
[6] Ibid § 10.

nentibus agendi causâ sine auctoritate habitus esset illa, illegitimus is ducendus foret congressus poenaeque hoc nomine obnoxius [1]. Electio ab eligentibus ex animi firma persuasione peragi jubetur. Hanc qui flectere aut donis aut minis aut pollicitationibus aggrediuntur, jus tum eligendi tum legationem suscipiendi in perpetuum amittunt. Quin, si crimine isto convictus fuerit magistratus publicus, remotionem a munere is exspectare debet [2]. Si unus aut plures, quamvis juris illius expertes, ferendorum tamen suffragiorum participes exstiterint, electio illa irrita haberi debet, nisi oborta inde calculorum numeri exauctione ipsa haud fuerit effectum, ut plura suffragia in designatum quam in caeterorum quemcumque concurrerint. Si secus contigerit, ad instaurandam electionem transeundum est [3].

In legatis designandis quisque suffragium ferens, antequam suffragium suum editurus est, jure jurando spondere debet, editurum illud se esse, quantum sciat queatque, ad commodum patriae procurandum [4].

Praesentes soli exercere jus suffragii possunt; mandata non admittuntur [5]. Electori facto nemini illius officii praestationem recusare licet. Excusationem praebere tantum possunt morbus, testante medico, atque absentia necessaria [6]. Sed ad eligendos legatos, adsint oportet ad minimum binae tertiae universitatis electorum partes; deficientibus pluribus, novus dies conventui habendo est indicendus [7]. Renuntiari tum electioni tum legationi solummodo potest 1) propter aegritudinem, teste medico, in longum tempus aegrotum impedituram; 2) aetatem

[1] Ibid. § 11. [2] Ibid. § 12. [3] Ibid. § 13.
[4] Ibid. § 14, [5] Ibid. § 15.
[6] Ibid. § 16. [7] Ibid. § 17.

sexagenariam; 3) res familiares, officia gerenda talia, quae continuam praesentiam, tum e testimonio judicis magistratusve, tum aliis satis certis indiciis, revera postulent[1]. De quibus excusandi causis, an jure sint allatae, priori utroque in casu, si ante congressos ordinum coetus propositae fuerint, decisio est penes magistratus; ubi vero ipsius habiti conventus tempore, aut quocumque tempore si tertia ratio allegetur, coetus ille, cujus is legatus est, decernendi jure utitur; qui si excusationem haud legitimam existimet, electum solemniter advocare jubetur, ac vel ita perseverantem electionis incapacem declarare. Ubi habiti conventus tempore legati alicujus locus vacare coeperit, admitti in coetum debet vicarius; sin vero antea, idoneo spatio suppetente, instauratur electio: haud suppetente, ad vicarium confugiatur[2].

Magistratus aulicique homines stipendiarii, milites, denique pontificii, facultatem habentes eligendi electionisque capaces, negotiis ad electionem pertinentibus vel absque impetrata regis veniâ operam dare possunt. Ea vero indigent ad legationem ratam habendam; quae regis venia, absque gravioribus causis ex ipsa muneris naturâ petitis ordinibusque communicandis, abnegari non debet[3].

Ministri, hoc officio suo haud minus re quam nomine fungentes, legati creari nequeunt[4]. Qui in pluribus classibus, aut in coetum simul utrumque, aut in pluribus districtibus rite legatus fuerit electus, intra tres dies post compertam nominationem ad notitiam imperii perferri curet, quamnam harum electionum in se suscipere velit. Quod si facere neglexerit, arbitrio imperantium ea de re statuetur[5].

Ea tantum fundi possessio, quae per tres ad minimum

---

[1] Ibid. § 18, l. a, b, c.
[2] Ibid. § 18.
[3] Ibid. § 19.
[4] Ibid. § 20.
[5] Ibid. § 21.

annos jam duravit, efficere potest, ut in utrumque coetum quis possit adscribi, exceptis fundis iis, quae haereditario nomine a quoquam possideantur. In computandis autem tribus annis, annumeratur quoque tempus alius ejusdem generis praedii ab eodem possessore antea occupati [1]. Respectu praediorum, quae moralium personarum sunt, administratores rite constituti suffragia ferre debent, neque tamen vel ob eam causam legationis capaces fieri possunt. Conjuges patresque, quibus ususfructus competit fundorum, ab uxoribus liberisve suis possessorum, suffragii lationem quidem habent, verum eligi ipsi propterea nequeunt [2].

Non compensantur electoribus itinerum sumptus, necessariae vero, cum hoc officio conjunctae pensiones ex aerario publico persolvuntur [3].

§ 5.

Praecepta singularia de eligendis possessorum bonorum legatis.

Ad jus suffragii circa legationem alterum in coetum equestris praedii possessori comparandum, praeter vulgaria ad suffragii lationem requisita, opus tantum est, ut dominium quis habeat boni equestris, nullo aut magnitudinis praedii, aut nobilitatis ignobilitatisve possessoris discrimine habito [4]. Sed, ut possit qüis equestris ordinis legatus in alterum coetum constitui, possessio requiritur praedii equestris ejusmodi, unde annuum thalerorum ad minimum sexcentorum reditus percipiatur [5]. Tantum proprietarii feudales (beliebener Eigenthumer) praedii alicujus equestris eligendi legationemque suscipiendi facultatem lege obtinerunt [6].

---

[1] Ibid. § 22. [2] Ibid, § 23. [3] Ibid. § 24.
[4] Ibid. § 25. [5] Ibid. § 26. [6] Ibid. § 27.

In priorem coetum duodecim legati ad vitam nominandi sic distribuuntur, ut a circulis illis, qui plurima equestria praedia contineant, comprehensa Lusaciâ Superiori, tres legati mittantur, a reliquis vero singulis duo [1]. Respectu viginti ejusdem ordinis in alterum coetum constituendorum legatorum, utrique plurima praedia continentium circulorum quini designandi attribuuntur, proxime vero ab his distanti uni quaterni, minimum denique numerum habenti utrique trini [2]. Qui in pluribus circulis bona possidet equestria, in unoquoque eorum et eligere potest et legatus eligi, verum de pluribus electionibus, ut supra vidimus, unam tantum ratam habendi jure utitur [3]. Cui in eodem circulo plura suppetunt praedia jus suffragii tribuentia, is uno tamen fungitur tantum suffragio [4]. E pluribus fundum communiter ac pro indiviso possidentibus vasallis, uni tantum jus suffragii spesque electionis competit, praeferendo tum incolâ peregrino, tum aetate majore minori; salvo vero hisce transigendi de istorum jurium usu atque facultate [5]. Si praedium equestre jus suffragii tribuens probante curiâ feudali fuerit divisum inque plurium dominorum transierit possessionem, possessores illi de eo convenire debent, cuinam portioni adhaesura sit suffragii ferendi facultas. Quod ubi in distribuendo praedio haud fuerit constitutum, cessabit tum suffragii jus tum electionis exspectatio, donec pactum ea de re inierint possessores. Legationis autem facultas in ea portione sola subsistere potest, unde redituum modus necessarius percipiatur desinitque plane si nulli portioni iste suppeditet [6].

---

[1] Ibid. § 28.
[2] Ibid. § 29.
[3] Ibid. § 30.
[4] Ibid. § 31, al. 1.
[5] Ibid. § 31, al. 2.
[6] Ibid. § 32.

Legatorum designatio peragitur in equestribus circulorum conventibus; quod Lusaciam Superiorem attinet, in provinciali sic vocitata diaetâ, ducibus ordinum provincialium et circularium praesidibus eorumve vicariis [1]. Simul ac rex legatos eligendos pronuntiaverit magistratuum est, equestris ordinis praesidem in circulo unoquoque inque Lusaciâ Superiori ejusve vicarium invitare, ut seriem describat ac probationi subjiciendam curet tum eorum, quibus in electionibus jus competat suffragii, tum illorum qui, cum legitima iis in ipsorum provinciâ requisita omnia adsint, suscipendae legationis facultate gaudeant [2]. Quae series probatae praesidi vicariove illius reddendae sunt, addito jussu de ineundo conventu circulari equestris ordinis diaetâve provinciali [3]. Idem sive praeses seu vicarius in convocandis suffragii jure gaudentibus ordinibus circularibus provincialibusve perferendam ad eos curet seriem illorum equestrium bonorum possessorum, qui ex legis praeceptis legationi obeundae rite possint admoveri [4]. Ante ferenda suffragia singuli ea laturi jus jurandum praestant § 14 propositum [5].

Plura quam cunctis reliquis in aliquem concurrentia suffragia electionem efficiunt, verum tamen, ubi, ter perlatis suffragiis, ejusmodi numerus calculorum nemini obtigerit, in tertia latione ratio habenda est illius, quem, prae reliquis singulis, plura suffragia designaverint [6]. Tum, si pluribus eodem numero obtigerint suffragia, sorti relinquitur ulterius decernere.

Singulorum sociorum in utrumque coetum legandorum, ut et singulorum vicariorum singulae peraguntur

[1] Ibid. § 33.
[2] Ibid. § 34.
[3] Ibid. § 35.
[4] Ibid. § 36.
[5] Ibid. § 37.
[6] Ibid. § 38.

electiones [1]. In priorem coetum legatis vicarii non adjunguntur [2]. Scripto eduntur suffragia [3].

Praesidum regis nomine eligendi officio praefectorum est, de eventu electionum, adjunctis actis (Wahlprotocolle) referre [4].

§ 6.

Praecepta circa electionem legatorum urbanorum.

Loca, quibus jus suppetit in partem veniendi urbanorum legatorum electionis, nominatim designantur in appendice legi de elect. 24 Sept. 1831 suffixa [5]. Dresda autem ac Lipsia utraque duos designant legatos, Chemnitzia unum legatum seligendi jure utitur [6]. Caeterae urbes, situs earum ratione habita, neque non, quantum ejus fieri potest, ipsius regni Saxonici in circulos et ambactus distributionis, in viginti distinguuntur pari fere magnitudine electionibus faciendis districtus (Wahlbezirke) quorum singuli communi urbium suffragium habentium concursu singulos legatos constituunt [7].

Urbium legati per interpositos electores (Wahlmänner) designantur [8]. Igitur, simulac a rege electio legatorum decreta fuit, regii commissarii constituuntur ad urbanas electiones moderandas [9]. Hi singuli, singulis in locis, apud magistratus auctores exsistunt series electionum conficiendi electorumque designationem [10] praeparandi. Quorumvis magistratus locorum tabulas incolarum jure suffragii gaudentium atque eorum, qui electores constitui

---

[1] Ibid. § 39.
[2] Ibid. § 40.
[3] Ibid. § 41.
[4] Ibid. § 42.
[5] Ibid. § 43.
[6] Ibid. § 44.
[7] Ibid, § 45.
[8] Ibid. § 46.
[9] Ibid. § 47.
[10] Ibid. § 48.

possint, tum quoque eorum, quibus legationem suscipere liceat, conficere tenentur [1].

Nominatio electorum ritu eodem peragitur, quo, secundum ordinationem urbanam (Stadteordnung), selectorum circa res urbanas (Stadverordneten) constitutio, aut iis in urbibus, ubi hi ab electoribus designantur, quo horum ipsorum designatio [2].

Quod ad numerum attinet electorum Dresdae, Lipsiae, Chemnitziae seligendorum, par esse jubetur numero constitutorum circa res urbanas electorum; in urbibus in districtum electorium consociatis singulis par est parti vicesimae quintae omnium incolarum, qui in iis jure suffragii sunt instructi [3]. Ut possit quis electionis ad munus electoris capacium tabulis inscribi, praeter universalia requisita, postulatur:

a) domicilium in propriis aedibus intra urbem aut urbanum districtum.

b) Annua solutio fundalium vectigalium (Schock- und Grundquatembern oder andern, nach verschiedenheit der einzelnen Landestheile, üblichen Grundsteuern) decem ad minimum thaleris aestimatorum[4].

Legationem urbanam ii tantum suscipere possunt, qui sive:

1) tribus abhinc annis aedes possidentes, in urbe ejusve districtuve habitent atque ad minimum annuum tributum praediale solvant thaler. decem; sive
2) sex millia thalerorum in patrimonio habeant; sive
3) certum reditum annuum percipiant thalerorum quadringentorum; sive
4) in magnis quidem urbibus tributum reale ac perso-

---

[1] Ibid. § 50.
[2] Ibid. § 52.
[3] Ibid. § 53.
[4] Ibid. § 55.

nale directum, quod dicitur, solvant thaleros triginta, in mediocribus viginti, in parvis decem.

Respectu tamen eorum, qui eligi possint, praeter requisita sub N^ris. 2, 3 et 4 enumerata, insuper postulatur:

a) ut tribus abhinc annis ad civitatem pertineant (Staatsangehörige sind) aut verum suum domicilium in urbe, qua eligendi sint, habuerint;

b) jus in ista urbe civitatis nacti fuerint;

c) quatenus, tamquam opificiarii, aedes in ea urbe non possidentes (unangesessene Gewerbtreibende) eligantur, opificium cui incumbant, per tres jam annos exercuerint.

An adsint requisita sub 2 et 3 exposita, penes urbanos consiliatores selectosque circa res urbanas est decernere. In trium annorum spatio computando aedes habenti accensenda insuper est alius ejusdem generis fundi possessio, neque requiritur trium annorum spatium in iis, qui haereditario nomine aut fundos suos acceperint aut tractare opificium aggressi sint [1].

Si in districtu electorio non adsint triginta ad minimum immobilium dominio utentes, censui praescripto 10 thal. satisfacientes, numerus iste supplendus est ex iis possessoribus, qui plurimum tributi persolvant. In qua suppletione, si plures quam ad efficiendum trigenarium numerum requiratur inveniantur, tributum pari inter se numero a X thaleris proxime remoto, pendentes, decernere quinam istorum ad suppletionem admittendi sint, sorti relinquitur [2].

Senatus urbani sociis, judicibus in tribunali urbano atque selectis circa res urbanas, propter urbanarum

---

[1] Ibid. § 56. [2] Ibid. § 57.

rerum notitiam atque studium, quae iis attribui consentaneum est, nulla habita aut dominii aut census ratione, facultas conceditur tum suffragii utraque in electione ferendi, tum ipsius quoque legationis suscipiendae [1].

Diem electioni praestitutum regius commissarius indicere ac scripto electores convocare tenetur [2]. Idem in districtibus plures urbes continentibus eam urbem indicare debet, in qua electionis officium obeundum sit [3]. Huic autem negotio moderando commissarius regius quinque selectos circa res urbanus adsociare jubetur, quorum est illi solemnitati ad finem usque interesse scriptisque de eo conceptis nomina sua subignare [4].

Decidit in electione suffragiorum numerus alicui major quam caeteris omnibus obtingens, salvis tamen praeceptis § 38 contentis [5]. Secunda suffragii latione designatur vicarius. Item Dresdae Lipsiaeque bini constituendi legati binis electionibus nominantur [6].

Finita electione, chartae, quibus rite subsignatum est, magistratibus subjiciuntur et ab iis examinantur comprobanturque [7].

Munus electorum exstinguitur simulac finis factus est electionibus, utque ante eligendi negotium peragendum de eo pacisci minime potuerunt, sic neque, absoluto eo, instaurandae concionis utuntur facultate [8]. Quaevis nova electio universe novos postulat electores. Si tamen, intra spatium a peracta inde electione ad proxime sequentis ordinum concionis exitum pentinens, novi legati necessaria exstiterit designatio, hanc ab iisdem perfici oportebit electoribus [9].

---

[1] Ibid. § 60. [2] Ibid. § 64. [3] Ibid. § 65.
[4] Ibid. § 66. [5] Ibid. § 70. [6] Ibid. § 71.
[7] Ibid. § 72. [8] Ibid. § 73, al. 1. [9] Ibid. § 73, al. 2.

§ 7.

Praecepta de electionibus legatorum ex ordine rustico.

Hisce factitandis electionibus, situs atque ambactuum distributionis, quantum fieri potest, ratione habita, pari fere spatio vigintiquinque electorii districtus (Wahlbezirke) describuntur, quorum quisque singulos missurus sit legatos [1]. Hujus quoque classis legati ab electorum [2] corporibus designantur. Constituendi electores rure participes sunt illi omnes, qui, praeter communes ad jus suffragii obtinendum requisitas conditiones, domini exstiterint praedii agrestis, aedibus ad habitandum instructi neque equestribus fundis annumerati [3]. Qui plura in eodem districtu habet domicilia, unum tantum edere potest suffragium; item plurium unum agrum pro indiviso possidentium unus tantum, et quidem, ex analogiâ placiti § 31, legis de elect. maximus aetate, suffragii jus exercere debet [4]. Utriusque electionis negotium rure similiter moderantur commissarii regii. Hi in singulis districtibus, probantibus imperantibus, officium illud per mandatarios possunt exercere, de quibus valent omnia, quae circa commissarios ipsos sancita reperiuntur [5]. Quisque districtus in plures electioni faciendae regiones (Wahlabtheilungen) dispescitur, in quarum unaquaque numerus requiritur civium primae obeundae electionis jus habentium (Urwählern) septuaginta quinque. Complures pagelli neque non domus, praedia, molae in ejusmodi regionem rite conjunguntur [6]. In iis

---

[1] Ibid. § 74.
[2] Ibid. § 75.
[3] Ibid. § 76.
[4] Ibid. § 77.
[5] Ibid. § 78.
[6] Ibid. § 79.

regionibus electorum peragenda designatio moderationi committitur magistratuum, aut, pluribus locis in unum districtum consociatis, unius variorum in illo locorum a commissario nominando magistratui [1].

Majores pagi pro suffragium ferentibus septuaginta quinque unum electorem constituunt [2].

Si pagus aliquis supra 75 infimi gradus electores, verum pauciores quam 120 contineat, non licet ei priorem illum numerum excedentes in aliam electoriam regionem ad eligendi munus obeundum dimittere; cujusmodi enim consociationes minoribus tantum pagellis permittuntur [3].

Ut possit quis elector constitui, requiritur possessio fundi, generis § 76 leg. de elect. expositi, unde quotannis decem ad minimum thaleri solvendi sunt, nomine vectigalium praedialium atque eorum, quae in usum alendorum equestrium militum percipiantur (Schocken und Quatembern und Cavalerie-verpflegungsgeldern) in Lusaciâ vero Superiori, nomine tributorum, quibus appellatio est Germanice: Rauch- oder Grundsteuer, Rations und Portionsgelder und Grundanlage [4]. In singulis regionibus electoriis curant commissarii, ut a magistratibus conficiatur series eorum, quibus requisita memorata suppeditant [5]. Ubi in aliqua regione electoria non adsint quinque ad minimum praescriptum censum possidentes, supplendi gratiâ adsciscendi sunt, qui post eos plurimum tributi solvunt, modo § 50 leg. de elect. indicato [6]. Quod supplendi munus, casu § 80 memorato, magistratui moderandae electioni praeposito incumbit,

---

[1] Ibid. § 80.
[2] Ibid. § 81.
[3] Ibid. § 82.
[4] Ibid. § 83, al. 1.
[5] Ibid. § 83, al, 2.
[6] Ibid. § 83, al. 3.

ita tamen ut is reliquorum sententiam explorare teneatur[1]. Series supra dictae a commissariis debent examinari atque ad publicam notitiam perferri[2]. In singulis regionibus electoriis singuli designantur electores[3]. Magistratus constitutus secundum § 80 leg. d. elect. cujusque districtus socios invitat, ut certo in regione loco compareant[4]. Hi, indicto die convenire tenentur neque aut praevia aut postera deliberatione suffragia ferre possunt[5]. Non advocati inspiciendi causâ ne admittantur[6]. Ex municipalium magistratuum numero, moderans magistratus adsessores aliquot sibi adjungit[7]. Fit electoris designatio ex numero sociorum, in regione electoriae seriei memoratae inscriptorum[8], sive ore, sive scripto[9]. Finita electione, statim abire tenentur, a quibus lata suffragia fuerunt[10]. Quod numerum attinet suffragiorum, observanda hac quoque sunt electione, quae § 38 et 70 praecepta vidimus[11]. Finitis districtus (Wahlbezirks) electorum designationibus universis, omnium creatorum in districtu[12] electorum nomina a commissario conferuntur. Ut possit quis legatus eligi, rusticorum classi, praeter universales ad cujusvis capacitatem requisitas conditiones, postulatur: ut annuam pensionem solvat triginta ad minimum thalerorum, nomine vectigalium § 83 enumeratorum[13]; tum opificio rurali incumbat aut rure fabricam moderetur, tamquam praecipuum, cui operam navat, negotium[14].

---

[1] Ibid. § 84.
[2] Ibid. § 85.
[3] Ibid. § 86.
[4] Ibid. § 87.
[5] Ibid. § 88, al. 1.
[6] Ibid. § 88, al. 2.
[7] Ibid. § 89.
[8] Ibid. § 91, al. 1.
[9] Ibid. § 91, al. 2.
[10] Ibid. § 92.
[11] Ibid. § 93, coll. § 38 et § 70.
[12] Ibid. § 94.
[13] Ibid. § 95.
[14] Ibid. § 95.

In quo districtu non adsint ad minimum quinquaginta legationis suscipiendae facultatem habentes, hoc quoque in casu recurrendum est ad placitum § 57 memoratum [1].

Possessores praediorum equestrium in electionibus ordinis rusticorum suffragii jure gaudent atque eligi pariter possunt, quando, praeter bona ad equestrem classem pertinentia, fundos quoque teneant generis § 76 indicati, quorum ipsorum census conveniat praeceptis § 83 et 95 editis [2].

Legatorum electio ducitur tabulis ad rem tributariam atque electoriam pertinentibus (Steuer und Wahllisten) [3]. Quapropter, ante eligendorum legatorum diem, conficiendae sunt tabulae, quibus inscribantur ii incolae, qui tributum solvant § 95 memoratum [4]; quae tabulae a commissariis examinatae, ab iis deinde publici juris faciendae sunt [5], ita ut ad civium notitiam perveniant, quatuordecim ad minimum dierum ante constitutum legatorum designationi tempus intervallo [6].

In diem eligendis legatis praestitutum, ad locum aliquem in ipso districtu situm, a commissario districtus electores convocantur [7]. Idem commissarius, alterius hujusce electorii negotii peragendi causâ, ex magistratibus loci adsessores aliquot sibi adsciscit et in caeteris pariter sic agit, uti praescriptum est § 67–72, respectu alterarum in urbibus electionum [8]. Respectu quoque rustici ordinis electorum, ea valent, quae circa muneris, finita electione, cessationem, § 73 praecepta diximus [9].

---

[1] Ibid. § 95, coll. § 57.
[2] Ibid. § 96, coll. § 76, 83, 95.
[3] Ibid. § 97.
[4] Ibid. § 98.
[5] Ibid. § 99.
[6] Ibid. § 100.
[7] Ibid. § 101.
[8] Ibid. § 102, coll. § 67—72.
[9] Ibid. § 103, coll. § 73.

Certiores facti praefecti absolutarum tum possessorum bonorum equestrium, tum urbanorum civium, tum rusticorum legatorum electionis, peracta ad electiones pertinentia negotia ad legis normam exigere jubentur. Dubia, si quae superfuerint, tollunt, totamque rem ad notitiam superioris ordinis imperantium perferendam curant. Si provocationi a decretis inferiorum locus est, adhibenda sunt praecepta, § 10 leg. de elect. proposita [1]. Singulis ex trinis classibus legatis, post probatas electiones, a praefectibus ea de re traditur testimonium [2].

---

[1] Ibid. § 104, coll. § 16.

[2] Ibid. § 105, al. 1.

CAPUT QUINTUM.

DE ELECTIONE MANDATARIORUM POPULI IN REGNO HANOVIAE.

§ 1.

De rebus Hanoveranis ad conditam usque legem publicam anni 1833.

Electoratus Hanoviae cum Borussiâ conjunctus pacto hujusce civitatis regem inter ac NAPOLEONTEM die April. 1 anni 1806 inito, post Jenensem vero pugnam Francorum iterum ditioni subjectus, ab horum deinde imperatore die 1 m. Mart. ann. 1810, Westphaliensi nuper condito regno admixtus, paullo denique post, ejusdem anni m. Decembri, majore sui parte in ingentis Franciae corporis societatem receptus, insigni pugnae apud Lipsiam commissae effectu in pristinam ferme instauratus fuit conditionem, quin, decernentibus in Congressu Viennensi principibus, m. Octobri ann. 1814, ad regnorum ordinem promotus est, acceptis, pro parvarum quarumdam cessione regionum, tum principatu Hildeshemiae, urbe Goslarensi, Frisiâque Orientali, tum Lingensis comitatus Monasteriensisque princi-

patus partibus ac locis aliquot, quae Saxonicae hucusque ditionis fuerant. V. Actt. Congr. Vienn. Art. 27, 29 30, 31, 32. Recuperato feliciter imperio, nihil potius habuit Guelphensium de stirpe princeps, quam ut pristinam ordinum in Hanoviâ constitutionem restauraret. Mox igitur diaetae habendae convocati fuerunt legati nobilium XLIII, urbanorum autem et clericorum XXXVII.

Anni autem 1819 initio, a principe summo imperio apud Anglos per interregnum fungente, ad ordines hosce missae sunt literae, quibus de emendanda ordinum descriptione certiores eos reddi curabat rogabatque ut, quae super ista re ille in animo haberet, ipsi comprobatione sua vellent confirmare »Non se id spectare," haec in epistolâ legebantur »ut recedi aliquando posset ab ea lege, qua penes ordines sit tum in exigenda tributa consentire, tum ferendarum legum participes haberi, quorum scilicet jurium salubritatem satis manifesto indicio experientia declaravisset, cum quoque absurdum esset existimare, quae leges nullo usu publico confirmatae, tamquam fundamento suo, pervulgatis quibusdam placitis unice forent superstructae, has earum posse fructum atque utilitatem aequiparare, quae ex ipsa morum efficacitate ac rei publicae necessitatibus fuissent prognatae, tum paullatim emendatae atque corroboratae. Quae cum ita essent, id agendum videbatur, ut selectus ex universo populo conventus, a quo singularum provinciarum conciones excipi oporteret, ad exemplum pristinae consuetudinis populi Hanoverani reformaretur, in quo haud minimum esset, quod, sicut ab antiquo inde tempore variarum ordines provinciarum in curias descripti, decreta edere fere solerent, ita nunc concio ea quae totius populi vice esset functura, duplici curiâ sive

senatu contineri deberet, quippe, cum variae essent variorum, quibus constaret coetus, collegiorum res, utilitates, commoda, ut simplicis concionis rite loquerentur quasi ore, fieri nullo modo posse.

Adjunctum his literis erat specimen ordinum descriptionis instaurandae, quo haec praecipue sancita reperiebantur: primum, prioris curiae jus datum iri: 1) principibus et comitibus iis, qui, ante dissolutum Imperium R. G. ipsi illi Imperio immediate subjecti fuissent; 2) marescallo regni haereditario; 3) equitum classi adscriptis, suffragium nactis ex probatione facta, se praedium fideicommissarium, certa majoratuum lege, dominio tenere; 4) rei tributariae ordinandae collegii supremi praesidi ac sociis equestri thesauro procurando collegii; 5) Luneburgensis ac Bremensis provinciarum praesidibus; 6) XXXIII legatis ab equitum ordine seligendis; 7) episcopis Catholicis neque non superiorum institutionum sacrarum abbatibus Protestantibus. Deinde vero in alterum coetum admittendos esse: 1) socios thesauro urbani ordinis collegii curando; 2) tres legatos praefectorum bonis pontificiis administrandis; 3) minorum institutionum legatos; 4) academiae Göttingensis legatum; 5) urbium legatos XXIX; 6) a possessoribus praediorum equitatui non adscriptis missos legatos XXII. Praesidium autem duplicis, in unum junctae coetum concionis marescallo haereditario incumbere, hoc vero absente, superioris tributis curandis collegii praesidi; singulorum conventuum praesides e selectis tribus candidatis a rege nominari. Diaetam quotannis habitum iri; post sexennium instaurandas electiones esse; decedentibus ut iterum designarentur, jus competere; a consultationibus autem arceri auditores debere; quaecumque rex proponenda haberet, utrique

vinciales, pro universo autem regno, universales; de illis jam dicamus, de his sequenti §pho visuri sumus.

Enumerantur in § legis publicae 73 septem partes sive provinciae regni Hanoverani, quibus singulis singula ordinum collegia attribuuntur. Unumquodque autem collegium binis curiis continetur [1], quarum altera complectitur tum praelatos, quibus in locis hi ordinibus adnumerantur, tum equites; ad alterum vero pertinent legati urbium jus suffragii habentium ac praeterea possessores fundorum illi, qui non sunt ex ordine equitatus. Observandum tamen est, quae provinciae olim tres habuerint ordinum curias, urbium legatis ac plebejis possessoribus separatim utrisque congredientibus, in iis morem illum, jubente lege publica, servatum esse, nisi alicubi de mutanda illa ratione pactum cum ordinibus initum a principe fuisset [2].

Parem autem lex attribuit utrique curiae auctoritatem, verum constituit, ut de interna ratione ac descriptione collegiorum ordinum provincialium, tum praesertim curiarum singulis attributarum, intra triennii spatium, ulterius, modo legitimo, decerneretur, quaeque tractanda superessent, ab imperantibus separatim cum singulis provinciis peragerentur. Quae donec ad finem perducta forent, quatenus de quarumvis rerum conditione sancitum nondum esset, eadem singulis provinciis jura salva manere, quibus antehac usae illae fuissent, dummodo ne haec publicae legis placitis aliqua parte repugnarent [3]. Decretum tamen vel ipsa illa lege fuit, ut necessarius ordinum provincialium consensus haberetur circa nulla

---

[1] Lex publ. Hanov. 26 Sept. 1833, § 75, al. 1.
[2] Ibid. § 75, al. 2—4.
[3] Ibid. § 77, coll. § 78.

non exigenda provincialia tributa atque praestationes, tum circa leges omnes ferendas ejusmodi, quae sola ipsius provinciae negotia spectarent, exceptis iis ordinationibus, quibus de vigentium legum adhibitione ac vindicatione deve temporariis exsequendis praeceptis solummodo ageretur aut quae ad securitatis sanitatisve curam unice pertinerent [1]. Quibus tamen provincialium ordinum rogationibus ac decretis ne umquam universalibus civitatis legibus exsequendis impedimenti quid objiceretur, simul provisum [2] ac postremo sancitum est, ut, singulis certe trienniis, unaquaque in provinciâ ordinum conventus celebraretur [3].

§ 3.

De Ordinibus universalibus.

Duplici coetu pari cum jure, ut in reliquis fere Germaniae civitatibus, sic in Hanoviâ quoque ordinum universalium compositus est conventus [4]. Quorum coetuum prior simili fere modo atque in Bavariâ, Saxoniâ, Wurtembergiâ, Badensi magno ducatu, aliis regionibus, efformatus est ac proinde constat: 1) principibus regiis; 2) spectatissimis quibusdam magistratibus; 3) mediatorum territoriorum dominis; 4) abbatibus nonnullis, episcopis Catholicis, binis in tempus habendi conventus designatis pontificiis Evangelicis primariis; 5) jure suffragii haereditario ex imperantis auctoritate donatis majoratuum dominis, in quibus majoratibus integer reditus annuus postulatur rixthal. ad minimum sexies mille;

---

[1] Ibid. § 79.
[2] Ibid. § 80.
[3] Ibid. § 82.
[4] Ibid. § 93.

6) equitatus legatis, in singulorum conventuum tempus eligendis, hac quidem proportione ut veniant:

pro equitatu Calenburgensi-Grubenhagensi 8,
pro Luneburgensi 7,
pro Bremensi ac Verdensi 6,
pro Hoyensi ac Diepholtzensi 3,
pro Osnabruckensi. 5,
pro Hildeshemensi 4,
pro Orientali Frisiensi. 2;

7) quatuor sociis sic a rege nominatis ut eorum unus donec victurus sit munus istud retinere jubeatur, tribus reliquis in tempus concionis eadem dignitas attribuatur [1]. Penes regem praeterea omni tempore jus est suffragii haereditarii facultatem majoratus possessori alicujus attribuendi [2].

Alter vero coetus compositus est sociis in singulos conventus eligendis, hac ratione, ut tum pontificius ordo tum urbanus tum eruditorum virorum tum rusticus singuli suos habeant legatos.

Ad pontificium atque antistitum ordinem pertinent: 1) tres legati capitulorum S[ti]. Bonifacii Hamelnensis, Cosmaeensis et Damianiensis in urbe Wunstorf, S[ti]. Alexandri et Beatae Mariae Virginis Einbeckensium, capitulorum denique Bardowiekensis et Ramelslohensis: qui legati, ab hisce capitulis, sub majoris ordinis clericorum et concionatorum moderamine, ex Protestantium ecclesiasticorum numero aut eorum virorum, penes quos superioris rei scholasticae cura sit, sic eligendi dicuntur, ut in illis duo ad minimum habeantur rite ordinati Protestantes pontificii; 2) tres socii, a rege, pecuniae monasteriis destinatae titulo (wegen des allgemeinen

---

[1] Ibid. § 94. [2] Ibid. § 95.

Klosterfonds) nominandi legati; 3) duo a consistoriis regiis Evangelicis designandi; 4) legatus capituli Hildeshemensis; 5) academiae Gottingensis legatus.

Urbanus compositus est ordo urbium et pagorum legatis septem et triginta, scilicet: Hannoviae urbis primariae legatis 2; Gottingae legato 1; Northemae 1; Hameln 1; Einbeck 1; Osterodiae 1; Duderstadii 1; Moringen, Uslar, Hardegsen, Dransfeld, Hedemünden conjunctim 1; Mündenae 1; Münder, Pattenseu, Neostadii, Springe, Wunstorf, Eldagsen, Bodenwerder, Rehburgii conjunctim 1; Clausthalae et Zellerfeldae conjunctim 1; reliquarum urbium montanarum quinque, inclusis Herzbergâ, Elbingerodà ac Lauterbergà, conj. 1; Luneburgii 1; Uelzen 1; Cellae 1; Harburgii 1; Luchöw, Dannenbergae et Hitzacker conj. 1; Soltau, Walsrode, Burgdorf, Gifhorn conj. 1; Stadae 1; Buxtehude 1; Verdae 1; Nienburgii 1, Hoyaensium pagorum 1; Diepholzensium 1; Osnabrucae 1; Quakenbrucae, Fürstnenau et Melle 1; Meppae ac Lingae 1; Haseliinne 1; Goslar 1; Hildeshemae 1; Alfeld, Peine et Bockenem 1; Elzae, Gronau, Sarstedt ac Dassel 1; Emdae 1; Auricae et Esens 1; Nordae 1; Leer 1; Schüttorf, Nordhorn, Neuenhaus ac Benthemae 1.

Pro rurali ordine veniunt agrorum possessorum ex urbibus et pagis modo non memoratis, tum liberorum civium rusticorum legati octo et triginta, scilicet:

e principatibus Calenbergâ, Gottingâ, Grubenhagâ 5;
e comitatu Hohnstein 1;
e principatu Luneburgensi 5;
e marchionatibus Bremensibus 5;
e tractu Bremensi et ducatu Verdensi 3;
ex agro Hadelnensi, inclusa urbe Otterndorf,. 2;
e comitatibus Hoyensi et Diepholzensi 3;

e principatu Osnabrucensi 3;
e ducatu Arembergensi-Meppensi et comit^s^. infer^i^. Lingensi. 2;
e principatu Hildeshemensi 3;
e principatu Frisiae Orientalis 5;
e comitatu Benthemensi . . . . 1 [1].

Requiritur autem, ut tum a nobilibus tum a reliquis agrorum possessoribus designati legati ipsi agrorum possessione suorum ea in provinciâ fruantur cujus nomine in conventum venturi sint, caeteris civium ordinibus libertate concessa sive suos homines sive extraneos, prout visum fuerit, legationis munere exornandi [2]. De equitatus mandatariis praeterea notandum est, lege publica censum in illis postulari thal. DC, annui reditus nomine, e praediis in civitate sitis, omnibus detractis cujuscumque generis sumtibus oneribusque, percepti. In legatis vero caeterorum rerum soli possessorum ejusdem generis proventus annuus rthal. CCC requiritur, aut successionis titulo acquisitus, aut certe integro unius anni intervallo ante factam electionem comparatus. Reliqui denique mandatarii sive ejusdem aestimationis reditu annuo e praediali possessione aut rustica aut urbana, sive stipendio propter munus rei publicae gratiâ gestum rthal. DCCC, propter municipale magistratum CD, sive denique e disciplinâ quisque sua aut arte aut opificio reditu annuo mille rthal. triennio ad minimum ante occupatum in concione locum acquisito, fruantur oportet [3].

Caeterum, in utriusque coetus sociis requiritur, tum ut Christianam aliquam sacrorum formulam de iis quae publica auctoritate receptae sunt, profiteantur, tum ut

[1] Ibid. § 98. [2] Ibid. § 99. [3] Ibid. § 100.

viginti quinque annorum aetatem expleverint [1]. Tollit autem legationis capacitatem criminalis accusatio omnis, nisi qua plane quis fuerit liberatus, salva tamen regi facultate capacitatem istam exceptionis titulo iis restituendi, qui rei exstiterint delicti ejusmodi, quo damnatis infamia haud soleat irrogari [2]. Quodsi cujus bona debitorum concursu peti coepta sint, antequam his fuerit satisfactum, is aut eligi mandatarius aut, si jam eo munere fungatur, illud retinere nequaquam potest, cujus tamen rigorem placiti eorum gratiâ mitigatum videas, quibus, cum caeteroquin legitimis omnibus conditionibus satisfaciant, propter bonorum a parentibus relictorum successionem ejusmodi concursus acciderit [3].

Universe denique lex publica praecepit, ne possint ii in concionis publicae societatem admitti, qui apud exteros degant, aut ad muneris extraneum erga principem praestationem semet obstrinxerint, excipiendis ab hac regula tum regiae stirpis agnatis ordinisque superioris proceribus, tum iis qui in civitate Brunsvicensi-Guelpherbytana domicilio utantur publicisque ibi officiis fungantur, quoad scilicet insigni illud favoris testimonio simili gratiae honorisque signo responsuri Brunsvicenses forent [4].

Sexennii lex conventibus spatium attribuit, verum regi simul potestatem vindicavit, ante illud tempus elapsum, quandocumque visum fuerit, concionem dissolvendi illiusque instaurandae gratiâ novorum designationem legatorum procurandi [5]. Novam autem suscipere legationem decedentibus permissum est [6]. Caete-

---

[1] Ibid. § 102.
[2] Ibid. § 103.
[3] Ibid. § 104.
[4] Ibid. § 105.
[5] Ibid. § 116.
[6] Ibid. § 117.

rum ordinum conventus publicus quotannis habendus dicitur [1].

Urbanorum mandatariorum electioni operam communiter navant magistratus, civium procuratores (Burger-Vorsteher) atque electores, peculiari suffragiorum latione, ex iis qui procurationis civium capacitate utantur, ad normam juris in quaque civitatis parte vigentis designati. Similiter ab electoribus peragitur legatorum ex ordine possessorum non nobilium designatio. Illi autem electores a selectis communionum mandatariis constituuntur. In singulis autem, quas memoravimus, electionibus faciendis illa suffragia valere jubentur, quae omnium suffragia ferentium dimidiam partem numero superaverint [2].

Pronuntiavit denique lex publica, ut de eligendi a variis ordinibus usurpato negotio, ratione imprimis habita variae variorum provinciarum conditionis, ordinum adhibita auctoritate, peculiari lege foret decernendum [3].

---

[1] Ibid. § 118.

[2] Ibid. § 101, al. 1 – 3.

[3] Ibid. § 101, al. 4.

CAPUT SEXTUM.

DE MANDATARIORUM POPULI CONSTITUTIONE IN REGNO WURTEMBERGIAE.

§ 1.

De Ordinum constitutione universe.

Constitutionis Wurtembergicae[1] art. 124 jubetur rex coetum ordinum (Landtag) tertio quoque anno convocare, tum praeterea, quoties aut a legibus aliqua in re recedere necesse visum fuerit, aut gravis quaedam rei publicae necessitas ordinum consultationem postulaverit. Denique, ubi novus rex decessori substitutus est, intra quatuor hebdomadum spatium ordines convocari jus est.

Duo sunt in Wurtembergiâ ordinum coetus[2], quorum alter concilium et est et vocatur superioris classis nobilium (Kammer der Standesherrn). Convenire in hunc lex jubet: I) principes ex regio genere viros; II) capita stirpium principalium comitaliumque, tum delegatos nobilium, qui ejusmodi agros olim possederint, quibus suffragii jus nasceretur in summo Imperii Germanici consessu, vel etiam in concilio circulari; III) Quosquos, sive quoad victuri sint, sive jure etiam haereditario ad

[1] D. 25 Sept. 1829. Legitur apud PÖLITZ, Eur. Verf. I. 1. p. 434, sqq.
[2] Constit. 25 Sept. 1819, § 128.

istud munus implendum rex designaverit[1]: quorum hos oportet quidem e superioribus nobilibus equitibusve selectos esse, probatione facta, rem immobilem a sese teneri intra fines regionis sitam, ejus autem juris, ut cum majoribus semper natu successione transmittatur, fideicommisso sit gravata, tum etiam reditum sibi suppetere annuum, omni detracto aere alieno, sexies mille florenorum[2]; illos vero ex optimis ac gravissimis sumtos esse civibus, absque ullo aut generis aut divitiarum discrimine[3]. Electorum autem a rege hujusce coetus sociorum numerum supra tertiam partem reliquorum sociorum extolli non licet[4].

Alter coetus, qui est delegatorum populi (Kammer der Abgeordneten) hisce constat sociorum velut classibus: I) nobilibus ex equitum ordine cooptatione designatis tredecim; II) ecclesiae Protestantium pontificiis praesidibus sex; III) episcopo Catholico, tum uno socio, quem magnus capitulus cooptavit, denique singularum provinciarum (Bezirken) singulis diaconis Catholicis natu maximis; IV) Academiae publicae cancellario; V) singulis legatis a septenarum praecipuarum urbium civibus nominatis, Studgardtensibus, scilicet, Tubingensibus, Luisburgensibus, Ellvangensibus, Ulmensibus, Heilbronnensibus, Reutlingensibus; VI) singulis legatis e singulis missis balivatibus[5].

Prioris autem coetus jure ut quis utatur, sive regii sit generis sive socius haereditarius, ad majorem is pervenerit aetatem, necesse habetur. Cujus justum tempus illis quidem definitum est regiae domus lege, hisce vero jure communi[6]. In alterum coetum nonnisi ii admit-

---

[1] Ibid. § 129.
[2] Ibid. § 130.
[3] Ibid. § 131.
[4] Ibid. § 132.
[5] Ibid. § 133.
[6] Ibid. § 134, al 1.

tuntur, qui XXX annis sint majores[1]. Haec denique universe requiruntur, ut ordinibus quem adscribi liceat: I) ne in colendo Deo aliam atque unam de tribus Christianorum formulis amplexus fuerit utque juribus utatur civis Wurtembergensis; II) ne quaestione teneatur criminali, neve sententiâ judicis sive ad munus aliquod publicum abdicandum sive ad carceris poenam in loco aliquo munito subeundam, adjuncta operarum aliave simili poenâ, sive denique ad seclusionem damnatus fuerit, neve praeterea crimine pressus fuerit qualicumque, nisi prorsus eo sit deinceps liberatus; III ne petitus quis sit judiciario de suis bonis concursu, quae prohibitio ne tum quidem evanescit ubi exstinctum fuerit judicium, quoties scilicet ob dilapidatam rem familiarem poenam expertus sit. Qui vero haereditario jure in priorem coetum sunt admissi, minime possunt sententiâ virorum aeri alieni moderando constitutorum suffragio suo privari, si, quae salva iis manserit pecunia, haec bis mille ad minimum florenis aestimetur. IV) Ne subsit aut patriae potestati aut tutelae, neve peculiari alicui officio perficiendo obnoxius habeatur[2].

§ 2.

De ratione legatos eligendi.

I. Tredecim socii ex ordine equitatus alteri coetui adscripti a dominis agrorum in tabulas relatorum (immatriculirten) aut bonorum nobilium in quatuor regni circulis participibus, circularibus in urbibus vero provincialis, praesidis adjunctis duobus ex equitum classe nobilibus seliguntur[3].

---

[1] Ibid. § 134, al. 2. [2] Ibid. § 135. [3] Ibid. § 136.

II. Legati, quos cives mittunt urbium, quibus jus istud concessum est, neque non, qui balivatuum nomine incolarum constituuntur, ab iis civibus designari jubentur, qui majorem caeteris summam in tributa conferre soleant [1].

In quavis autem communione septima civium pars jure illo eligendi fruitur, ita ut, si v. c. centum et quadraginta adsint cives (quot repcriuntur fere, ubi septingenti degunt incolae) viginti habeantur eligendi facultate instructi [2]. Electorum autem duae tertiae partes iis constant civibus, qui, per annum elapsum, bonorum respectu, quae aut dominii aut ususfructus jure possident, plurimum in tributa illa, quae directa vocantur, contulerint. Hi, antequam ad electionem transeundum est, inspectis tributorum tabulis, electores renuntiantur a loci praeside, adscitis tributorum perceptore, inspectore ac senatus municipalis graphiario, aut, quibus in locis munera ista ab ipso praeside geruntur, primario communitatis senatore [3]. Quae restat tertia electorum pars, e caeteris sumitur tributi onere gravatis civibus, duce praeside adjunctisque iis, quos supra memoravimus eumque in modum designari jubetur, ut, distributione facta, singuli, vice sua, ad suffragia ferenda admittantur [4]. Electorum designatorum nomina neque non eorum, qui tanta censeantur, quod ad collationem tributorum, pecuniâ, ut pari fruantur cum illis eligendi facultate, publice in communitate inscribuntur [5].

Quae autem requiri supra diximus, ut possit quis civium legati munere decorari, eadem quoque in electoris

---

[1] Ibid. § 137. [2] Ibid. § 138. [3] Ibid. § 139.
[4] Ibid. § 140. [5] Ibid. § 141.

personâ concurrere necesse est, aetate tantummodo sufficiente majori ut ad electionis quis officium admoveatur [1]. Praesentibus duabus tertiis electorum partibus, rata electionis instituendae opportunitas habetur. Non autem licet jus illud, de quo agimus, per mandatarium exerceri, nisi illi electori, cui munus quoddam publicum impedimento exstiterit, quo minus ad coetum electorum sese conferret [2].

Quam autem plurimorum tulerunt suffragia, rata electio habetur, ita ut, omnium suffragiorum, quotquot edita fuerint, tertiae partis concursum exstitisse oporteat. Quod ipsum haud requiritur in designatione electorum, secundum Art. leg. fundament. 140. Si vero duo cives pari suffragiorum numero designati fuerint, majorem natu pro electo haberi lex jubet; semet vero ipsum suffragio suo designare licet nemini [3].

Quicumque in pluribus circulis pendendis tributis adscriptus est tamquam nobilium bonorum possessor, aut tamquam municeps pluribus in communitatibus, in quovis eorum aut circulorum aut communionum jus suum exercere potest [4].

Licet vero, ut quis eligendis legatis constitui possit, ea tantum requirantur, quae supra, quum de legatis esset sermo, memoraverimus, vetat tamen lex publica, quominus civium aliquis illa in provinciâ (districtu) ubi aliquam auctoritatem publicam exerceat, ut neque clerici in iis ipsis, quas incolant, electoriae dignitati admoveantur; tum etiam quo minus factam aliis in locis aut balivatibus sui designationem ratam habeant citra

---

[1] Ibid. § 142.
[2] Ibid. § 143.
[3] Ibid. § 144.
[4] Ibid. § 145.

superiorum magistratuum consensum. Removentur denique ab eligendi facultate duces stirpium dominicarum atque nobilium bonorum possessores illi, quos § 129 definitos videas [1].

Quorumcumque circulorum, balivatuum, urbium electores liberam habent facultatem vel eos cives legatos constituendi, qui extra fines provinciae suae habitent, utut qui pluribus locis electus fuerit, unam tantum ratam habere possit electionem [2]. Si pater et filius simul legatis fuerint adscripti, nisi sponte munere se pater abdicaverit, filius excluditur [3]. Quae autem urbes ac loca ad balivatum quemque pertinent, electorum suorum tabulas, simulac innotuit iis convocationis epistola, ad balivum mittendas curare tenentur, quo facto, balivus, intra decem ad summum dies postquam epistolam acceperit, electionis faciendae tempus indicere debet, ea lege, ut haec in octavum ad minimum diem proferatur [4].

In balivatuum urbibus electiones faciunt quotquot ibi praesentes adsunt electores, tabellis manu ipsorum inscriptis, certe quibus subscriptum, vel si scribere aliqui nesciant, signum illud, quo subscriptionis loco uti consueverint, additum ab iis fuerit [5].

Porro, quibus urbibus jus concessum est proprium legatum constituendi, in iis rite peragendis electionibus magnus praeest balivus, adjuncto collegio quatuor ad minimum civium ex urbano senatu ac corpore municipali selectorum. Quale collegium in iis regionibus, quae balivorum subjectae sunt auctoritati, quatuor constat balivatus concilii sociis, tum uno ex urbano municipali

---

[1] Ibid. § 146.
[2] Ibid. § 147.
[3] Ibid. § 148.
[4] Ibid. § 149.
[5] Ibid. § 150.

CAPUT SEPTIMUM.

DE MANDATARIORUM POPULI CONSTITUTIONE IN MAGNO DUCATU BADENSI.

Ex placitis legis publicae, quam huic regioni magnus dux largitus est, anni 1818 mensis Augusti die 22° [1], penes principem Badensem omnis habetur potestas exsecutoria, Vid. l. p. § 5. In legiferae autem potestatis exercendae partem veniunt ordines [2].

§ 1.

De Ordinibus Badensibus.

In duos coetus ordines sunt distributi [3]. Prior coetus constat:

I. principibus e stirpe ducali viris;

II. capitibus earum gentium, quae antiquitus feudali vinculo ab imperio Romano-Germanico pendebant;

III. magni-ducatus episcopo ac Protestantium sacris operante pontificio praelati titulum gerente homine, ad vitam designato;

[1] Legitur apud PÖLITZ, Europ. Verfass. I, I, p. 461, sqq.

[2] Constit. Bad. d. 22 Aug. 1818, C. IV.

[3] Ibid. § 26.

CAPUT SEPTIMUM.

DE MANDATARIORUM POPULI CONSTITUTIONE IN MAGNO DUCATU BADENSI.

Ex placitis legis publicae, quam huic regioni magnus dux largitus est, anni 1818 mensis Augusti die 22° [1], penes principem Badensem omnis habetur potestas exsecutoria, Vid. l. p. § 5. In legiferae autem potestatis exercendae partem veniunt ordines [2].

§ 1.

De Ordinibus Badensibus.

In duos coetus ordines sunt distributi [3]. Prior coetus constat:

I. principibus e stirpe ducali viris;

II. capitibus earum gentium, quae antiquitus feudali vinculo ab imperio Romano-Germanico pendebant;

III. magni-ducatus episcopo ac Protestantium sacris operante pontificio praelati titulum gerente homine, ad vitam designato;

[1] Legitur apud PÖLITZ, Europ. Verfass. I, I, p. 461, sqq.

[2] Constit. Bad. d. 22 Aug. 1818, C. IV.

[3] Ibid. § 26.

Utriusque academiae legati ex professoribus aliisve literatis publicumve officium gerentibus viris desumuntur [1]. Non possunt plures quam octo socii in priorem coetum ab ipso magno duce designari [2].

Alter coetus urbium balivatuumque legatis sexaginta tribus est compositus, quorum legatorum distributio institui jubetur ad eam normam, quae descripta reperiatur in tabula ipsi legi publicae suffixa [3].

Legati designari urbium balivatuumque non possunt:

I. qui ipsi, eo tempore, priori coetui sunt adscripti;

II. qui aut electores sunt delegatorum ex nobilitate aut eam habent capacitatem, qua nobilium designari legati possint [4].

Reliqui cives omnes legatorum munere decorari possunt, modo:

I. trium formularum Christianarum unam amplexi fuerint;

II. triginta annos nati sint;

III. in publicis tabulis censoriis fundorum, domorum, opificiorumve decies mille floren. summâ (Capital) fuerint aestimati, aut ex gentilicio feudalive fundo, donec aetatem degant, quotannis mille quingentorum floren. reditum percipiant, aut denique sive pensionem accipiant certam, sive beneficium, quod vocatur, possideant ecclesiasticum, quod quidem officialis sive civilis sive ecclesiastici stipendium pretio aequiparet, ea lege, ut duabus posterioribus conditionibus tributi propter bonum immobile adjuncta sit solutio.

---

[1] Ibid. § 31.
[2] Ibid § 32.
[3] Ibid. § 33.
[4] Ibid. § 35.

II. qui aut electores sunt ordinis nobilium aut eligi hujusce ipsius ordinis legati rite possunt [1].

Quos eosdem ab ipsa pariter excludi urbium balivatuumque legatione, supra vidimus.

Reliqui cives omnes et designandi electores facultatem obtinent et designari possunt ipsi, dummodo:

I. viginti quinque annis sint majores;

II. pleno gaudeant jure civitatis eo in districtu, ubi electio peragatur, aut

III. publico aliquo munere fungantur [2].

Quandoquidem autem magnum penes ducem potestas est tum convocandi ordines tum eorum differendi congressionem tum coetus denique dissolvendi [3], sequitur, ut, praeter legitimam sociorum decessionem, instaurandis electionibus locus tum quoque praebeatur, ubicumque jus istud dissolvendi exercitum a principe fuerit. Quo scilicet facto, dignitate sese abdicent oportet, quotquot civium Badensium suffragiis in alterutrum coetuum fuerint adducti, i. e. legati cum nobilitatis atque academiarum tum urbium atque balivatuum [4]. Sin autem, quo tempore dux concilium dissolverit, rei, de qua deliberaretur, nondum absoluta fuerit tractatio, novas electiones habendas esse lex jubet ante elapsum trium ad summum mensium tempus [5]. Iterum eligi quisque legatorum semper potest [6]. Observandum sane quam maxime est, instaurandis qualemcumque ob causam electionibus legatorum, instaurari quoque debere electorum nominationes [7].

---

[1] Ibid § 35. [2] Ibid. § 36. [3] Ibid. § 42. [4] Ibid. § 43.
[5] Ibid. § 44. [6] Ibid. § 40. [7] Ibid. § 39.

VII.

Suasionem delicti, Cod. Crim. Neerland. Art. 54 memoratam, ab ea *suasione*, de qua caveatur ibid. Art 56, al. 2, sic distinguendam esse, ut hac, a socio, committendi delicti opportunitate, ad istius adjuvandam perpetrationem suppeditatum, illa datum ad suscipiendum maleficium ita efficax consilium intelligatur, ut a suasore, tamquam auctore, qui dicitur, *intellectuali*, expletum repeti deinde oporteat delictum, ipsis horum articulorum diversis inter se verbis manifestissime docetur.

VIII.

Praeceptum Art. 56, al. 1, Cod. Crim. Neerl. de maleficio, per ebrietatem, in quam auctor sive volens sive etiam consulto inciderit, perpetrato, poenâ, quam lex in illud scripserit, ordinaria plectendo, veris de imputatione delictorum placitis repugnare existimamus.

IX.

De diversis Imperii, quae dicuntur, formis, Monarchiâ, Aristocratiâ, Democratiâ, perperam multi sic disputant, ac si pro earum diversitate, diversa sint semper imperantium et civium jura, conditio atque libertas. Recte enim animadverterunt KANT, *zum ewigen Friede*, Sect. alt. § I, *Element. metaph. jur. doctr.* II, Sect. I, § 49, atque HEEREN, *Kleine Histor. Schrift.* II, p. 106 sq. (Opp. T. I, p. 408 sq.), eas varias formas non *civitatis*, sed *regiminis* tantum diversam conditionem indicare; adeo ut exinde de conditione, juribus atque libertate civium existimari plane non possit.

X.

Simile quid jam observavit PLATO, *de Legg.* VI, p. 712, E. »ἃς δὲ ὠνομάκαμεν νῦν, οὐκ εἰσὶ πολιτεῖαι, πόλεων δὲ οἰκήσεις δεσποζομένων τε καὶ δουλευουσῶν μέρεσιν ἑαυτῶν τισί· τὸ τοῦ δεσπότου δὲ ἑκάστη προσαγορεύεται κράτος." Sed placebat prudentissimis imprimis temperata imperii et regiminis forma. Ita PLATO, *de Legg.* VI, p. 756, E, »τὴν πόλιν," inquit, »δεῖν μεσεύειν μοναρχικῆς καὶ δημοκρατικῆς πολιτείας." Quod eximie CICERO confirmat, de Republ. I, Cap. 45.

XI.

Utut diversae sint Juris Naturalis et Ethices disciplinae, nulla tamen parte sibi invicem sunt contrariae.

XII.

Repraesentativa, quae dicitur, regiminis forma, licet initia ejus in veterum populorum institutis reperiantur nonnulla, ipsa tamen ignota illis fuisse dicenda est.

ris" etc. — »more majorum" imprimis memorabilis est. Ex illo enim discimus, praetorem urbanum conceptum a se Edictum, antequam in album illud referri curaret, populo proponere, ea autem opportunitate rationes Edicti diserta oratione explicare debuisse, neque non, ubi sic expedire videretur, quo magistratum suum civibus commendaret, de se majoribusque suis dicere aliquid potuisse.

XIX.

Minus recte KLEINSCHROD, Grundbegr. des Peinl. R. T. III, § 84, negat, jure Romano, *infamiam juris* ipso etiam jure inferri, existimans opus semper fuisse judicis infamiam irrogantis sententià.

XX.

Jure Romano, si quis creditori suo rem alienam pignoris jure obligaverit ejusque rei dominus postea haeres illi exstiterit, pignus ita demum *utiliter* convalescit, si simpliciter ignorante domino facta sit oppignoratio, non vero, si et ignorante et invito.

XXI.

Haeredis fideicommissarii, de quo agitur in Cod. Civ. nostri Art. 928, neque ii liberi succedendi incapaces habendi, qui post mortem testatoris nati sint.

XXII.

Matri, quae liberorum suorum tutelam suscipere noluit, jus non competit testamento iis tutorem nominandi.

XXIII.

Si quis rite agnitum filium filiamve naturalem haeredem ex asse scripserit, adscendentibus illius in lineà recta salva, ex juris nostri placitis, portio manere debet legitima, quam iis Cod. Civ., Art. 962 adsignavit.

XXIV.

Jure nostro, soluta lucri damnique communione, renuntiandi facultatem uxor ejusve haeredes nequaquam obtinent.



CONSPECTUS.

